INSTITVTIO
AD ORDINES
ECCLESIASTICOS
SVSCIPIENDOS

In Eccleſia Mediolanenſi.

IVSSV

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.D. FEDERICI
*Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyt. Card.
ac S. Mediol. Eccleſiæ Archiep.
nunc primum edita.*

CVM PRIVILEGIO.



MEDIOLANI,
Apud her. quon. Pacifici Pontij, & Io. Baptiſtam Piccaleum
ſocios Impreſſores Archiep. M.DCII.

Venduntur apud prædictos Impreſſores.

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM,

Qui hoc libello continentur.

QVæ præſtanda ſint à ſuſcepturis habitum clericalem. fol. 2

Benedictio clericalis indumenti. 6

Quæ à Cancellario præſtanda ſint. 11

Quæ à Parochis præſtari oporteat. 22

Quæ præſtanda ſint à Præfectũ, Vicarijsq́; foraneis. 32

Quænam Archiepiſcopum præſtare oporteat. 36

Quomodo natales, ætas, mores, vita, & titulus Ordinandorum inquirenda, & probanda ab eo ſint, cui Archiep. mandauerit. 53

Quæ ab Examinatoribus præſtanda ſint. 66

Quæ ab Ordinandis præſtanda ſint. 90

De

De ſpiritualibus exercitationibus; ad quem ille finem inſtitutæ, quo in loco, & à quibus obeundæ ſint. 98
Quæ præſtanda ſint ab Ordinandis ijs, qui ſunt alienæ Diœceſis. 108
Quæ præſtanda ſint à Regularibus. 110
Quæ in recognitione Promouẽdorum præcipuè animaduertenda, & in ordinatione à Promouendis ſeruanda. 112
Quæ post ſuſceptos ordines ab ordinatis præſtanda ſint, & de ſingulorum ordinum functionibus. 123
Litteræ Pij II. Pont. de clericis malè promotis. 138
Conſtitutio S. D. N. Clementis Octaui moderatoria Bullæ Sixti V. Contra clericos malè promotos, ea in Epiſcopos in ordinum collatione peccantes. 143

INSTITVTIO AD ORDINES ECCLESIASTICOS SVSCIPIENDOS

In Eccleſia Mediolanenſi.

VT nihil ferè eſt ad rectam, & ſalutarē Chriſtiani populi inſtitutionem accommodatum, quod non proficiſcatur ab ijs, qui ſtudio veræ pietatis incenſi initiari ſacris ordinibus voluerunt; ita nulla planè dignitas eſt, ad quam ritè ſuſcipiendam paratiores accedere debeant. Quod tamen cum præpoſterè aliquando fieri, magnaq. eorum, quæ meritò exſpectantur, bonorum parte fraudari fideles ſæpenumero videremus; non ab re futurum putauimus, ſi ad idoneos Sacerdotes, cæteroſq; miniſtros Mediolanenſi Eccleſiæ vtiliter comparandos certam quamdam rationem rerū omnium præſcriberemus, quas ab illis præſtari oporteat, qui ad hanc clericalem militiam diuinitus vocari ſe ſentiunt, in eamque adſcribi verè, atque ex animo cupiūt.

Quæ præſtanda ſint à ſuſcepturis habitum clericalem.

Cõc. Prouin. 3. tit. de ijs, quæ partim ad ordinis.

NEmini clericalem habitum ſumere liceat, ſine Archiepiſcopi, vel eius cui idem id muneris delegauerit, facultate, eaq; ſcripto data. Qui ſecus fecerit, non modo indignus habitu iudicetur, quo detracto clericus aliquis inops donabitur; ſed, prout eidem Archiepiſcopo viſum fuerit, alijs etiam grauioribus pœnis mulctetur.

Non ſtatim atque aliquis deſideriũ clericalis habitus præſetulerit, eiuſq; ſuſcipiẽdi ſibi poteſtatem fieri poſtulauerit, conceditur; ſed ad ſex ſaltem menſes in alicuius Patris ſpiritualis fidem, & diſciplinam traditur; cuius præceptionibus inſtitutus in pietatis, & religionis ſtudio proficere poſsit.

Commẽdetur idem præterea ab Archiepiſcopo viro alicui non eruditione minus, & litteris, quam moribus, & probitate præſtanti; à quo cum ad liberales artes, tum vero præcipuè ad omnem honeſtatem, animi moderationem, & diſciplinam clericalem informari queat.

Interim vero, dum præſcriptum probationis tempus elabitur, quiſquis habitum ſuſce-

ſuſcepturus eſt, ſemel ſaltem ſingulis menſibus, ſi in vrbe degat, Præfectum conueniat; ſiquam aliam diœceſis regionem incolat, Vicarium foraneum adeat: quorum partes erunt, quantos ille in litteris, virtute, & clericali diſciplina progreſſus fecerit periclitando cognoſcere.

Archiepiſcopus autem vni alicui viro mandabit, vt quibus parẽtibus natus, qua ætate, quibus moribus ille ſit, qui clericalis vitæ genus ſectari inſtituit, in eum omnino modum, qui infra deſcribitur, diligenter inquirat; Is vero comperta quam primum Archiepiſcopo tranſmittenda curabit.

Neque tamẽ clericalis habitus vſum cuiquam concedi par fuerit, niſi iam per ætatem quam grauis militiæ onus ſibi ipſe imponat, intelligere poſsit. Omnino autem qui nondum octauum annũ attigerit, ſciat ſibi huiuſmodi facultatem nunquam futuram: Quam multo minus illi impetrabunt, quibus tantum patrimonij deſit, quantum ſatis ſit ad vitam decẽter, & pro ſacerdotali dignitate degendam; niſi forte in Seminarij alicuius, aut Collegij ordinem cooptatis, ſperandum ſit nunquam res ad victum; cultumq́; corporis neceſſarias defuturas.

Verum antequam quis ad habitum Cle-

ricalem ſuſcipiendum accedat, rem ſecum ipſe vniuerſam, omnesq; eius partes diligenter excutiat, & Confeſſario in conſiliũ maximæ deliberationis adhibito, ſciat ſe, quo propius ad illius præſcriptum, & voluntatem acceſſerit, eo etiam maiores progreſsiones in vitæ ſpiritualis ſtudio eſſe facturum.

Conc. Prouinc. 4. tit. quæ pertinent ad Sacramẽtum Ordinis.

Atque vt non modo Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam profiteri cupit, paullatim aſſueſcat, omniaq; eius inſtituta exactius teneat; ſed vt intelligat etiam quam viuendi viam ingreſſurus ſit, ſi ordinis Sacramentũ ſuſcipere velit, præfinito illo probationis tempore frequens in Eccleſia ſit, Clericorũ functiones obſeruet, & vel ipſius Parochi, vel alius ſacerdotis, quem Archiepiſcopus maluerit, curæ, & fidei commendatus, cum Eccleſiaſticis hominibus quam ſæpiſsimè conſuetudinem habeat.

Vbi verò probationis tempus tranſierit, atque cum ex Patre ſpirituali, tum ex Præceptore, quantum in virtute, & litteris profecerit, cognitum fuerit, tum demum ad clericalem habitum induendum admitti poterit. Quod in Cancellaria Archiepiſcopali hac ſubſcripta verborum formula faciendum erit.

FE-

Digitized by Google

FEDERICVS

Miſeratione diuina tit. S. Mariæ Angelorum. S. R. E. Presbyter Cardinalis Borromæus S. Mediol. Eccl. Archiepiſcopus.

Formula facultatis induendi habitũ clericalem.

TIbi N. qui è iuſtis nuptijs, vt nobis legitime conſtat, natus es, in clericalem militiam adſcribi, in eaq; Deo inſeruire cupienti, habitum clericalem, eumq; decentem ad Concilij Prouincialis Primi præſcriptum induendi facultatem damus. Quo ſuſcepto habitu, vbi primum per examen noſtrum idoneus repertus eris, ad tonſura Clericali initiandum aditus tibi fiat. Dat. in ædibus Archiepiſcopalibus die men. Ann.

Habitum ab Epiſcopo, vel eo, cui ipſe id muneris ſcripto detulerit, tradi oportebit; qui tamen primum benedictione de more ſignandus, deinde hunc in modum tradendus erit.

Benedictio Clericalis indumenti.

Formula benedictionis, & traditionis habitus clericalis.

Deus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandũ me feſtina.
℣. Gloria patri &c. Alleluia.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui tegumen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, adeſto propitius inuocationib⁹ noſtris, & ſuper his indumentis copioſam benedictionis tuæ infunde virtutem, vt de ſuper irrigante gratia tua, per noſtræ humilitatis ſeruitutem puri ✠ ficare, & bene ✠ dicere digneris, vt his veſtibus indutus famulus tuus N. ab omnibus impulſionibus, ſeu tentationibus malignorum ſpirituum munitus, & defenſus eſſe mereatur, tuiſq; myſterijs aptè, & condignè ſeruire, & inhærere; atq; in his tibi placidè, & deuotè perſeuerare concede; Qui cum Patre & Spiritu

San-

Sancto viuis, & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Deinde luſtrali aqua leuiter veſtis aſpergitur, thurificatio adhibetur, atque his verbis denique traditur.

Accipe, fili cariſsime, hoc ſacrum indumentum, quo cognoſcaris mundum contempſiſſe, & te Chriſto perpetuò ſubdidiſſe, faciatq; te Deus cum bonorum operum fructu miniſterij congruētis beata immortalitate veſtiri.

Dum exſuitur, dicitur; Exſuat te dominus veterem hominē cum actibus ſuis. ℞. Amen.

Deinde dum induitur, Induat te dominus nouum hominem, qui ſecūdum Deum creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. ℞. Amen.

Denique indutus procumbit in genua coram Archiepiſcopo, qui ſuper eo orat in hunc fermè modum.

Pater noſter. &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo.

℣. Saluum fac ſeruum tuũ domine.

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei domine auxiliũ de ſancto.

℟. Et de Syon tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici, & perſequentis.

℣. Domine exaudi orationẽ noſtram.

℟. Et clamor noſter ad te perueniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

1. ad Tim. 2. TVere quæſumus, Domine, famulum tuum N. imple eum agnitione voluntatis tuæ, dirige eum ſecundum tuam clementiam in via ſalutis æternæ, aperi manum tuam, & imple animam eius benedictione, quatenus caſtris tuis inſertus in illis bonam militiam militet, atque ita tibi militando in hoc ſancto propoſito deuotus perſiſtat, vt in conſpe

ctu

Digitized by Google

ctu tuo ſanctus, & immaculatus, atque irreprehenſibilis appareat. Per dominum noſtrum. &c,

Deinde eũ aſpergendo benedicit dicẽs.

Benedicat te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus benedictione, qua Patres noſtros benedicere dignatus eſt; Abrahã, Iſaac, & Iacob; & exaltet te Deus in ſanctitate, & dilectione, & impleat omnes petitiones tuas; qui viuit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Iam vero quicunque in Clericorum ordinem aſciti, atque, vt ſupra explicatum eſt, induti clericalib⁹ veſtibus fuerint, eis ſemper ita aptis, congruentibusq; vtantur, vt ex externo corporis cultu animi quoque nitor, & candor appareat; In quo tamen illud cauere debebunt, vt neque elegantiam ſtudioſius, quam par ſit, affectaſſe, neque, dum hanc fugiunt, in ſquallorem, & ſordes incidiſſe videantur. *Conc. Prouin. 1. par. 2.*

Veſtitu, præterquam nigri coloris, alio nullo vtantur: atque hic, ſiue domi, ſiue foris eius vſus futurus ſit, ſericus eſſe non poſsit.

In-

Interulis ad collum, & ad manus rugoſis, acuq; artificioſè elaboratis abſtineant.

Superiorem veſtem ſimplicem, ad talos vſque demiſſam, neque à ceruicibus poſt tergum reclinatam, ſed ad collum concinnè reuinctam eſſe volumus: Interiorem vero eiuſdē omnino generis, & longitudinis.

Palliati nunquam, niſi pluuijs temporibus in publicum prodeant: Pallium vero ipſum nec plus duobus digitis à collo emineat, nec ſine talari toga ſumatur. In itinere tamen veſtitus contractioris vſum concedimus, dummodo ſimplex ſit, & minimè ab ordinis honeſtate abhorrens.

Turgentes caligas, & diſſectas reijciant; crepidasq. & calceos ad elegantiam inciſos ne geſtent.

In Templo nunquam, niſi ſuſcepturi ſuperpelliceum ſint, ſine externa toga conſpiciantur; eo maximè tempore, quo aut diuina officia celebrari, aut populus conuenire in Eccleſiam conſueuit. *Cōc. Prou. 4 par. 3.*

Superpellicea autem, quotieſcunque miniſterij vſus requirit, adhibeant ea, quæ neque ita vetuſtate attrita, aut obſoleta ſint, vt functione illa indigna cenſeantur; neque contra tanto artificio elaborata, vt eius ornatus in hominum oculos conſpicuè nimis incurrat.

In-

Digitized by Google

Inceſſus, ſtatus, oris, vultus, totiusq; corporis moderatio eiuſmodi ſit, vt quod ſermone, atque habitu profiteri ſe dicunt, id etiam re ipſa pijs, & religioſis animi moribus exprimant, illud ipſi ſecum aſsiduè cogitantes ſe non ad ſocordiam, & ignauiã, ſed ad ſpiritualis vitæ certamina, atque ad Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatos eſſe.

Quiſque demum, ſuſcepto iam habitu clericali, cum ſuperpelliceo ſemper vtatur; dum in Eccleſia, quam illi Archiepiſcopus præſcripſerit, ſacras functiones obibit; tũ Sacerdotibus, cæteriſq; maioribus ſuis in eadem Eccleſia debìtum cultum, atque obſequium præſtet.

Congregationibus menſualibus omnino interſit; & non modo ſemel in menſe Præfectum ab Archiepiſcopo conſtitutum adeat; ſed bis etiam in anno Archiep. ipſum ſiue eius Vic. Generalem conueniat.

Quæ à Cancellario præſtanda ſint.

CAncellarij munus, erit bis in anno, primo nempè dominico die Nouembris; & tertio mẽſis Maij edictum de ſacra Ordinatione promulgandum, & Cathedralis Eccleſiæ valuis, cæteriſq; de more locis affigendum cu-

curare; quo præcipua capita de ijs quæ requiruntur pro vniuſcuiuſq; ordinis ratione ex hac inſtitutione, aliisq; huius S. Eccleſiæ Conſtitutionibus decerpta contineãtur, quibus ſinguli ordines ſuſcepturi monentur, vt paratiores accedere opportuno tempore poſsint.

Cõc. Prou. 4 par. 2.

Tenor indictionis ſacræ ordinationis.

Ad eundem etiam pertinebit ordinationem futuram, ſi de ea conſtiterit, ex formula infraſcripta ad quinque & quadraginta dies ante indicere, vt quiſnam ſit ab Archiepiſcopo tantæ rei ſolemni ritu celebrãdæ conſtitutus, omnes intelligere poſsint.

INDICTIO
Diei Sacræ Ordinationis.

FEDERICVS
Miſeratione diuina tit S. Mariæ Angelorum. S. R. E. Presbyter Cardinalis Borromæus S. Mediol. Eccl. Archiepiſcopus.

AVxiliante Domino Deo, ac Saluatore noſtro Ieſu Chriſto, nos, ex ſanctæ Matris Eccleſiæ inſtituto, ſacram ordinationem in noſtra Metropolitana Eccleſia ſolem-

Digitized by Google

lemniter celebraturi ſumus proximis ſta-tis quatuòr temporibus, die ſcilicet Sab-bati menſis proxime futuri. Quare edictum de ſacra ordinatione editum, vt omnibus, ad quos ſpectat, notum ſit, intra Miſſarum ſolem-nia in noſtra Metropolitana Eccleſia, de ſuggeſtu, cum his noſtris, indictionis diei ſacræ ordinationis litteris legi, atque in eius item valuis, vt moris eſt, affigi; & quo præterea peruulgatus ſit, à Parochis omnibus, & ſingulis, tàm in vrbe, quàm in diœceſi, die Dominico proximo, poſt quàm has Archiepiſcopales litteras accepe rint, hoc idem fieri mandamus.

Omnes verò, & ſinguli, quicunque vel clericali tonſura, vel aliquo ordine initian di ſunt, vt omnia, & ſingula præſtent, at-que exequantur, quæcunque edicto illo de ſacra ordinatione, vnicuique pro ordinis ſuſcipiendi ratione, præſcripta ſunt, his noſtris litteris edicimus, atque monemus. Dat. Mediolani ex ædibus noſtris Archie-piſcopalibus die

Per

Per menſem ante ſtatã ordinationis diẽ promouendorum nomina, ſi conuenerint, vna cum nominibus Parentum, patriæ, Parochialiſq; Eccleſiæ, in cuius quiſque vicinia natus eſt, atque habitat, in librum accuratè referet; in quo diſertè etiam deſcribetur beneficium, penſio, patrimoniumue, cuius titulum quis promotionis cauſſa producit; eius item cenſus, & redditus exprimetur.

Verum vbi deſcriptionis huiuſmodi pręſtituta dies tranſierit, hunc ipſum librum Archiepiſcopo ſtatim oſtendet, req. vniuerſa cum illo communicata, ex eiuſdem mandato in vrbe Præfectis, in Diœceſi vero Vicarijs foraneis, aut Parochis, alijſue, quibus id oneris imponere Archiepiſcopo viſum fuerit, litteras ſcribet, omniumq; ordinandorum nomina intra fines cuiuſq; regionis Vicariatus, vel viciniæ commorantium ſigillatim tranſmittat, expreſsis Parẽtibus, patria, reliquiſq; quæ in libro notari oportere, modo docuimus; vt nominib⁹, & deſiderio eorum, qui promoueri cupiũt, in Eccleſia frequenti fidelium cœtu propoſitis, de initiandorum natalibus, ætate, moribus, vita, & titulo ex hominibus fide dignis cognoſcant; cognita verò Archiepiſcopo quamprimum, aut certè hebdomada

fa-

ſacram ordinationem præcedente, litteris omninò ſignificent.

Dabit præterea operam Cancellarius, vt nomina promouendorum, Parentum, & patriæ, titulus item, & cenſus non ſolum in ſua cuiuſque Parochiali, ſed etiam in Metropolitana Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia, die feſto populo proponantur.

Nomina, Proceſſus, & litteras teſtatum de hac tota re facientes ad Archiepiſcopũ miſſas, eo mandante, Vicario Generali, Seminarijq; Prætori, vel cui magis idem Archiepiſcopus expedire cenſuerit, exhibebit; vt illis attentè, diligenterq; perlectis, de ſingulorum ſtatu fieri certior Archiepiſcopus poſsit.

Vt examen ordinandorum ſtatis diebus in conſtituto loco habeatur, curabit: idq; præſente Archiepiſcopo, vel eius Vicario Generali, vel alio quouis, qui opportunior Archiepiſcopo viſus fuerit.

Examinatores monebit, ne cuiquam ad examen accedendi poteſtatem faciant, niſi is prius litteras, quibus de natalibus, ætate, aut diſpenſatione conceſſa, de beneficio Eccleſiaſtico, aut patrimonio fides fiat, recognoſcendas, & confirmandas Archiepiſcopo exhibuerit.

Nomina eorum, quos Archiepiſcopus pro-

promouendos cenſuerit, deſcripta Vicario Generali, vel Præfecto examinis tradet; præter quos nulli alij examinentur.

Examinatores ab Archiepiſcopo delectos ex præſcripto Prouincialis Concilij conuocabit, librumq; vbi omnium, qui ad ſuſcipiendos ordines examinati fuerint, cum admiſſorum, tum reiectorum nomina deſcribantur, ſecum omnino habebit.

Viginti ſaltem ante ordinationem diebus tabellam publicè proponendam, atque affigendam curabit; tenoris ſequentis qua ſinguli ſpirituales exercitationes pro ordinibus ſuſcipiẽdis obituri moneantur, vt in ædes penes locũ, qui Canonica dicitur ædificatas, & huic rei addictas conueniant.

Indictio ſpiritualium exercitationũ pro ordinibus ſuſcipiendis.

Feria ſpirituales exercitationes in conſueto Canonicæ Seminario incohabũtur, propterea qui illas obire debẽt, ſtata die earum Præfectum adeant, & exercitationibus huiuſmodi operam dare incipiant, ſecus ad Ordines nullatenus admittentur.

Digitized by Google

Feria tertia illius ſtatæ ordinationis heb domadæ tabellam publico loco affixam ex ponet, qua ſingulis primam tonſuram, & minores ordines ſuſcipere cupientibus ſignificetur, vt proximè ſequenti die ante Archiepiſcopum in aula Archiepiſcopali ſe ſiſtant, ſub verborum formula vt infra.

Indictio delectus Ordinandorum.

Feria iiij. proxima hora .... habebitur delectus initiandorum prima Clericali Tonſura, & minoribus Ordinibus, coram Illuſtriſs. Archiepiſcopo, ideoq. ſinguli eadem hora cum teſtificationibus, alijsq. requiſitis ad præſcriptum in conſuetum locum ritè conueniant.

Eiuſdem generis tabellam feria etiam quinta affiget, ad eos, qui maioribus ordinibus initiandi ſunt, commonendos, vt die ſequenti hora præſcripta ad recognitionem, vt ſupra dictum eſt, conueniant.

Die cognitionem huiuſmodi præcedente, codicem eorum, qui ad ordines ſuſcipiendos idonei examine reperti fuerint, & approbati, ad Archiepiſcopum deferet; diligenterq; cauebit, ne quis ex promouendis in foro ſit inquiſitus.

 Illud

Digitized by Google

Illud item curare debebit, vt feria quarta, & ſexta, hora recognitionis præſcripta adſint graues ſacerdotes, & examinatores, qui de mandato Archiepiſcopi prædictæ cognitioni interſint; cui ipſum quoque intereſſe, & deſcripta nomina promouendorũ cuiuſq; ordinis habere neceſſe erit, quos ad recognitionem nominatim vocabit; approbatosq́; ab Achiepiſcopo, & Vicario Generali iterum in diſtincta ſchedula ſeorſim notabit.

Teſtimoniales litteras, quibus natales, ætas, probitas, & mores commendantur, recipiet, penes ſe habebit, & diligenter adſeruabit.

Diſpenſationes omnes, eaſq; præcipuè, quæ ſuper inteſtitijs ex vtilitate, & neceſsitate Eccleſiæ fiunt, in codice ad huius rei vſum confecto deſcribet.

Notabit etiam cui quiſque Eccleſiæ, Collegio, vel pio loco adſcriptus fuerit.

Teſtificationes omnes in librum ad hũc ipſum vſum comparatum ſummatim referet, eumq́; in Archiepiſcopali Archiuio adſeruabit.

Poſt abſolutam recognitionem curabit, vt quicunque promouendi ſunt, in Archiepiſcopale ſacellum conueniant; ibiq; ſermoni, quem vel Archiepiſcopus ipſe, vel

alius

alius quiuis Archiepiſcopi iuſſu pro ordinibus ſuſcipiẽdis habebit, interſint; ad eum igitur pertinebit monere Archiepiſcopum de illo habendo poſt recognitionem promouendorum; vt ſi ipſe non poſsit, alij huiuſmodi onus imponat.

Sermo verò habeatur de Sacramento Ordinis, de qualitatibus promouendorum, de præparatione ad ordines ſuſcipiendos, & de Eccleſiaſtico ſtatu.

Quo ſermone abſoluto, Pij ſecundi, conſtitutionem de malè promotis editam publicè, & clara, diſtinctaq; voce omnibus ordinandis audientibus recitabit; deinde verò eos omnes dimittet, monitos tamen, vt ſequenti die ad ſacram ordinationem hora .... piè, & religiosè in Eccleſiam Metropolitanam conueniant, allatis pro ratione ordinum indumentis ſacris albi coloris.

His omnibus hunc in modum peractis, nomina promouendorum, qui examinati, & in recognitione probati fuerint, cuiusq; ordinis iterum in diſtinctã ſchedulam referet; ſtudebitq; vt Vicarius Generalis ſingulorum ſtatum, examine, & litteris teſtimonialibus lectis, & maturè conſideratis, recognoſcat, illudq; in primis caueat, ne qui criminis alicuius, inquiſitus, damnatusue ſit, vllo modo promoueatur: die ve-

rò ſequenti ſummo mane Archiepiſcopo eorundem ſtatum oſtendet.

Sacræ ordinationi, dum ea habetur, intererit, & de libro Pontificali interdictum, mandante Archiepiſcopo, leget.

Initiandos ſuo loco, & tempore nominatim vocabit, inſtrumentumq; habitæ ordinationis conficiet.

Promotos in codicem referet, & ſingulis documentum publicũ, & authenticum tradet, iuxta formulam, quæ infra deſcribitur.

FEDERICVS

Miſeratione diuina Tit. S. Mariæ Angelorum S.R.E. Presbyter Cardinalis Borromæus S.Eccl.Mediol.Archiep.

VNiuerſis præſentes litteras inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur quòd nos hodie in Sacello noſtro Archiepiſcopali generales ordinationes celebrantes. Dilectum nobis in Chriſto

de legitimo matrimonio natum, examinatum, & probatum prima clericali tonſura ritè initiauimus, clericaliq; charactere inſi gniuimus, & Eccleſiæ S.

adſcripſimus. In quor. fid. præſentes

Digitized by Google

tes litteras ſigillo Archiepiſcop. S. Ambroſÿ, & manu Cancellarÿ noſtri Archiepiſc. munitas fieri iuſsimus. Dat. Med. ex ædibus noſtris Archiepiſcopalibus die

FEDERICVS
Miſeratione diuina Tit. S. Mariæ Angelorum S.R.E. Presbyter Cardinalis Borromæus S. Eccl. Med. Archiep.

VNiuerſis præſentes litteras inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur quòd nos hodie in Eccleſia noſtra Metropolitana generales ordinationes celebrantes. Dilectum nobis in Chriſto
Medil. noſtræ diœc. de legitimo matrimonio natum, examinatum, & admiſſum ad
ritè promouimus, eiq; dict Ord
contulimus. In quorum fid. præſentes litteras ſigillo Archiepiſcopali S. Ambroſÿ, & manu Cancellarÿ noſtri Archiepiſcopalis munitas fieri iuſsimus. Dat. Med. ex ædib. noſtris Archiepiſcopalibus die

Cõc. Trid. Seſſ.21.c.1 Litteras dimiſſoriales, commendaticias, quas alicui ſubdito fieri Archiepiſcopus iuſſerit, idem cõficiet; neq; earum, ſigilliuè, aut alius cuiuslibet rei nomine quidquam prorſus etiam ſponte oblatum quouis prętextu accipiet. Atq; hoc ipſum in inſtrumẽtis ordinum obſeruabit, quæ gratis, ſine vlla prorſus mercedis ſpe fieri omnia oportebit.

Quæ à Parochis præſtari oporteat.

QVò præclarius eſt, atq; excellentius Eccleſiæ miniſterium, eò etiam acrius in *Cõc. prou. 4 part. 2.* eo laborandum Parocho erit, vt quam maximum poſsit numerum puerorum ad Eccleſiaſticam diſciplinam erudiat: Quod tamen neque temerè, neque ſine delectu ab eo fieri oportebit; quin ea potius adhibenda cautio erit, vt qui à primis propemodũ annis ita inſtitui cęperint, vt non minus ad litterarum cognitionem, quam ad morum, totiusq; vitæ integritatem, atq; innocentiã proficere videantur, operamq; ſuam in vinea Domini egregiè aliquando ponendi ſpem afferãt, ij potiſsimum ex omnibus deligantur: qui ſi minus propter parentum inopiam, aut aliam quamuis cauſſam Præceptores probitatis, & doctrinæ nomine cõ-

men-

mendatos audire poſsint, eo diligentius cō tendendum erit, vt nulla in eos ab ſe deſiderari Chriſtianæ pietatis, & charitatis officia patiatur. Quamobrem non modo antequam prima Clericali tōſura initiati fuerint, ſed præcipuè poſt minores ſuſceptos ordines: ita eos ad omnem rationem diuini cultus informabit, vt & ab ijs optima quæq; ſperari, & ipſe tales filios, & miniſtros Dei Eccleſiæ genuiſſe gloriari meritò poſsit.

Vbi primùm Archiepiſcopi iuſſu ſacræ Ordinationis dies editus fuerit, promulgabit edictum, litterasq́; paſtorales ad ſe ea ipſa de re miſſas die Dominico frequenti fidelium conuentu inter Miſſarum ſolemnia recitabit; atq; ex Romani Catechiſmi præſcripto, quāta ſit ordinis dignitas, vtilitas, neceſsitas populo declarabit: illiſq́; potiſſimùm hæc omnia grauibus, & diſertis verbis oſtendet, quibus ad ordines ſacros accedere propoſitū fuerit. Atq; hoc ipſo die propter proximè futuram ordinationem in ſingulis Eccleſijs Parochialibus publicæ ſupplicationes de more fiant, litaniæ cantentur, ſummiſq́; atq; ardentibus precibus a Deo petatur, vt, quoniam meſsis multa eſt, operarij autem pauci, mittat operarios in meſſem ſuam, mentemq́; Archiepiſcopi

radijs tantæ lucis illuſtret, vt ad hoc diuinum opus eos potiſsimum ex omni numero deligat, qui iuſtitiæ, & ſanctitatis cultores perpetuò futuri ſint, nihilq; Dei ipſius gloria aut potius, aut antiquius habituri. Verùm vt vehementius ad tam ſanctæ, tãq; neceſſariæ petitionis ſtudium fidelis populus incitetur, ſingulis Dominicis diebus, dũ Miſſæ ſacrificium celebratur, ante præfinitam ordinationis diẽ pijs, & crebris cohortationibus inflammabitur. die vero Dominico illam proximè præcedente Paſtorales Epiſcopi litteræ iterum de ſcripto legentur; atq; omnes, quam fieri ſtudioſiſsimè poterit, in Domino rogabuntur, vt, quò non ſine diuini nominis amplificatione, ſpiritualibuſq; in omni virtutum genere incrementis eorum, qui ſacris ordinibus adſcribendi ſunt, tantùm opus perficiatur, Dei primum, totiuſq; deinde militiæ cœleſtis auxilio implorato, non ſolum ſupplicationibus, vel quæ intus habeantur, vel quibus Eccleſię fores obeantur, religiosè interſint; *Cõc. Prou. 3. decr. 22.* ſed ipſis etiam ſtatis ordinationis diebus nullam omnino temporis partem a precibus eſſe vacuam ſinant.

Cõc. Prou. 4 par. 2. Parochis in vrbe degentibus, qui primus edicti promulgationem conſequetur Dominicus dies, Diœceſanis verò is, qui poſt

ac-

acceptas de ſacra Ordinatione indicta litteras primus inciderit, ad eas publicè pro ſuæ cuiq; Eccleſiæ foribus affigendas conſtitutus erit.

Populo ſacrorum temporum ieiunia cõceptis, vt infra, verbis, denunciabunt; maioremq; freqnentius orandi cupiditatem, quãtum in ipſis erit, propter grauiſsimam ordinationis cauſſam cohortando inijciẽt, vt ſtatæ præſertim feriæ, quarta, ſexta, & Sabbathum ſanctius tranſigantur.

Formula denunciationis Temporum.

QVod ſacrorum Temporum ratio, & deuotionis Chriſtianæ admonet conſuetudo, paterna vobis dilectiſsimi ſollicitudine denunciamus, menſis N. ſacrum celebrandum eſſe ieiunium, diuinitus inſpirata doctrina perceptum, ac ſtatis menſium curriculis diſtributum; vt lege abſtinentiæ omnibus adſcripta temporibus, & alijs chriſtianæ militiæ præſidijs ad mentium noſtrarum, corporumq́; ſanctificationem diuinè inſtitutis, ſtato dierum interuallo ſine ceſſatione renouatis, nos eo ardentiori Cõc. prou. 4. par. 1.

ri cura, maiorię́ ſtudio in ſalutis curſu progrediamur, quò ſpecialius præſtituti ſunt dies ad pietatis officia. Quarta igitur, & ſexta Feria, & Sabbatho ieiunemus, frequentes in Cathedrali, Parochialię́ Eccleſia ad litanias, orationemę́ conueniamus, & quò ſacris illis ferÿs à cibo abſtinentiores eſſe debemus, eo abundatiori eleemoſynarum liberalitate erga Chriſti pauperes effuſiores ſimus. Tum Sabbatho præterea Orationem Parochialem communem celebremus, qua & pro ſpe fælicitatis æternæ, ad quam per fidem currimus, & pro ſacra ordinatione, quam eo die ab Archiepiſcopo haberi ſolenne eſt, & pro ÿs commodis, quæ ſingulorum annorum reuolutione conſequimur, Deo omnipotenti gratias agamus, eumdemq; religioſis ſupplicationibus oremus, quatenus ſanctorũ, quorum patrocinia imploramus, ſuffragantibus meritis, eius miſericordiam in omnibus impetremus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus &c.

Quo-

Quotieſcunque autem, vel Archiepiſcopale Edictum, vel litteras Paſtorales, vel ſuperiorem præſcriptam formulam, vel ordinandorum nomina publicè denunciari contigerit, Parochus de Sacramenti Ordinis dignitate, quemadmodum ſupra declaratum eſt, ad religionis ſtudium in Chriſtiano populo excitandum, orationem habebit. In quo quidem argumento explicando ita verſabitur, vt, omiſsis verborum inanium lenocinijs, curam omnem ſuam, & cogitationem in eo defigat, vt rerum pondere, & grauitate ſententiarum cum ſibi ipſi, tum auditoribus ſuis, cuiuſcunq; illi generis ſint, ad pietatem ardentius conſectandam ſtimulos quaſi quoſdam acriores admoueat.

Ac primum quidem, vt eam gratiam, cuius Sacramento ordinis particeps factus eſt, vel ſopitam ſuſcitet, vel amiſſam recuperet, in tacita cęleſtium bonorum contẽplatione, ac pia diuinarum rerum meditatione totus verſabitur: deinde, vbi iam, veluti igne concepto, eius animus incaluerit, tum ſacros ordines ſuſcepturis ardentiores ad congruentes tantæ dignitati mores inſtituendos faces ſubijciet, tum alijs Eccleſiaſticæ diſciplinæ viris earum rerum notitiam tradet, quibus illi inſtructi facilius,

atq;

Digitized by Google

atq; expeditius ad vlteriores gradus aſcendant.

Confirmabit præterea in conſilio ſanctiſſimi inſtituti, quos, vel propria voluntas induxerit, vel parentum cohortationes ad clericalis vitæ rationem illexerint.

Illud itē parētes monebit, vt filios Deo, ipſiusq́; miniſterio addicant, & offerant: poſtquam verò obtulerint, vel ipſi ad omne religionis ſtudium piè illos inſtituant, vel alijs inſtituendos tradant; curentq́; in primis, vt quos Eccleſiaſticis functionibus aptiores eſſe crediderint, quorumq́; indoles ſpem uberioris prouētus afferre videbitur, eos potiſsimùm huius eſſe ordinis, & militiæ velint.

Huc etiam addet, in liberis diuino cultui mācipandis nihil prorſus oportere ſpectari, quod aut ad rem familiarem amplificandam, aut ad familiam ſubſtentandam, aut ad honores adipiſcendos vllo modo pertineat; ſed omni fluxarum vtilitatum cogitatione ſublata ſolum Dei cultum, & miniſterium ante oculos eſſe habendum.

Poſtremo reliquos Chriſti fideles, quanta ſit clericalis ordinis dignitas, quantusq́; honor Eccleſiæ ſanctæ Miniſtris debeatur, grauiter, perſpicuèq́; docebit; ac propterea eos amāter, atq; acriter obiurgabit, qui

Cle-

Clericis, & Sacerdotibus non modo debitum honorem, non deferunt: ſed eoſdem etiam deſpicatui habent, ut in noſtro Rituali fuſius demonſtratur.

Det operam Parochus, ut initiandorum cōditiones egregiè cognitas habeat, quantumq; in ſe eſt, uideat nequa deſideretur in illis, qui ex ſua Parochia ad ordines promouendi ſunt.

Quorum noīa frequēti populo in Eccleſia Parochiali die feſto euulget, cum ab Archiepiſcopo, uel ab alio quouis Archiepī iuſſu fuerit nuntiatum, in hunc ſanè modū.

Formula denūnciationis ordinandorum.

SI notifica alle carità voſtre, come N. figliuolo di N. della Terra, ouero Parochia di N. è per promuouerſi alla prima Tōſura, ouero all'ordine del N. & però ſe alcuno di voi ſapeſſe, che vi foſſe impedimèto alcuno, per il quale non poſſa, ò non debba eſſer promoſſo a detto ordine, venga à notificarlo à me, ò vada a notificarlo al Reuerendiſs. Monſig. Arciueſcouo, ouero al ſuo Vicario Generale.

Quo-

Quoniam uerò per primam Tonſuram, ut in Romano etiam Catechiſmo habetur, uiam ſibi quamdam ſternunt, & muniunt, ad Dei miniſterium quicunque illi ſeſe addicere, & dicare inſtituerunt; propterea in ea, uel conferenda, uel ſuſcipienda, nullæ erunt, aut diligentiæ, aut debitæ ſolicitudinis partes omittendæ. Atq; ideo, nequid prætermiſſum uideri poſsit, non modo illorum nomina, qui ſingulis maioribus ordinibus initiandi ſint, euulgãda, ut dictum eſt, in Eccleſia erunt; ſed eorum etiam, qui primam duntaxat tonſuram deſiderant.

Cõe. Trid. ſeſſ. 23. c. 5.

Cõc. prou. 4 par. 2.

Verum ut populo nota ſint impedimenta, quibus aditus ad ordinis ſacramentum occluſus obſtruitur; Parochi munus erit ad unum omnia vulgari idiomate explicata enumerare: Sunt autẽ hæc, quæ ſeqnuntur.

Minores ætate cuiq: ordini requiſita,
Criminoſi,
Hæreſis nomine ſuſpecti,
Vino intemperantius dediti,
Impudici,
Vſurarij,
Scurræ, Mimi, Comœdi, Hiſtriones,
Infames quocunq; modo,
Ratiocinijs obligati,
Inſigniter deformes, & corpore debilitati,

Spu-

Spurij,
Bigami quacunq; bigamiæ ſpecie,
Irregulares, veluti,
Qui ibi ſtipendium fecerint, vnde cædes hominum conſequutæ ſint,
Qui ſententiam capitis tulerint,
Qui criminis capitalis acta, ſententiam, teſtificationesq; dictarint, aut ſcripſerint,
Qui cauſſas criminales egerint,
Suſpenſi, Interdicti, Excommunicati,
Amentes,
Comitiali morbo laborantes,
Energumeni,
Qui ante tempus, aut præpoſterè ordines ſuſceperint,
Qui ſacerdotium, patrimoniumuè, aut alia bona ita opulenta non habent, vt ijs ſubſtentare ſeipſos decenter poſſint, ſi ſint ad ſacros ordines promouendi.
Qui confirmationis Sacramento muniti non ſint.

Eorum, qui in ſacrum Subdiaconatus ordinem adſcribendi ſunt, non ſatis erit nomina publicè in Eccleſia enunciaſſe; ſed bona etiam, & cenſum addere oportebit, ad cuius quiſq; titulum ordinandus eſt, in hanc formam.

For-

Digitized by Google

Formula publicationis tituli, ad quem quis ordinandus eſt.

SAppiate dilettiſsimi nel Signore, che N. della terra, o Parrocchia di N. è per promuouerſi all'ordine ſacro del Soddiaconato al titolo del Patrimonio, ò del tal beneficio, ò d'altri redditi ſopra li beni infraſcritti; qual dice eſſere d'entrata di ſcudi cinquanta l'anno: Perciò ſe alcuno ſapeſſe, che vi foſſe naſcoſta qualche fraude, ò altro impedimento ò di debiti, ò d'altre obligationi, per il quale non poteſſe poi il ſòddetto N. hauere con che viuere honeſtamẽte, lo faccia ſapere quanto prima ò a me, ò al Reuerendiſs. Arciueſcouo, ò al ſuo Vicario Generale.

Perlecta autem huiuſmodi formula, clarè & diſtinctè ab eodem Parocho bona cũ cohærentijs, valore, & redditu nominabuntur. Hæc verò denunciatio duobus Dominicis diebus, proximè acceptum huius rei mandatum ſequentibus habenda erit.

In eo etiam Parochi vigilantia, & cura ſingularis eſſe debebit, vt Parochialium clericorũ mores, ſtudia, diſciplinam, exercitationes,

tiones, & alia id genus diligẽter obſeruet, vt de ſingulis opportuno tempore requiſitus teſtificari, vt verè, ita etiam facilè poſsit.

Quod autem ad teſtimoniales morum litteras, aliasq́; teſtificationes cuiuſcunq; generis ſpectat, ſciat ſe in ijs, vel ſcribendis, vel alio quocunq; modo præſtandis omni animi perturbatione vacuum eſſe oportere; vt non modo ordinandorum probitatem, & piam vitæ inſtitutionem commendet: ſed eorumdem etiam mores ab Eccleſiaſtica viuendi ratione abhorrentes, ſi qui fuerint, liberè deteſtetur.

Atq; hæc teſtificãdi, ſyncereq́; quid quiſque ſentiat exponendi libertas tum præcipuè vſurpanda erit, cũ in ſacerdotalibus conuentibus à Præfectis, Vicarijsq́; Foraneis ſingulis menſibus celebrãdis ad ſacros ordines promoueri cupientiũ nomina proponentur: omni enim diſsimulatione remota cuiq; declarandum erit, quam opinionẽ de promouendo habeat, & vtrum dignum eo ordine, vel indignum eſſe exiſtimet.

Cæterum Rector, ſiue Præfectus, in cuius Eccleſia ſacras functiones obire clerici cõſueuerunt ex præſcripto Archiepiſcopi, tertio quoq; menſe eidem, vel litteris, vel voce exponet, num ea præſtent, quæ de cle- *Cõc. prou. 3. decr. 28.*

ricali Tonſura, de habitu, & de totius vitæ ratione ſibi præſcripta eſſe intelligunt.

Quæ præſtanda ſint à Præfectis, Vicarijsq́; Foraneijs.

PRæfectis in vrbe, Vicarijs verò Foraneis in Diœceſi, in ſua cuiq; regione, & Plebe curandum ſedulò erit, vt nihil eorũ prætermittatur, quæ de conferendis, & ſuſcipiendis ordinibus huius Eccleſiæ Mediolanenſis Cõcilijs, & Edictis ſtatuta ſunt.

Hi, ſi ab Archiepiſcopo de Natalibus, atq; ætate ordinandorum delatum cognoſcendi munus acceperint, eam rationem ſequantur, quam infrà capite de ratione inquirendi præſcripſimus.

Morum autem integritatem, & innocentiam vitæ eorum, qui ſunt ad ordines promouendi, ſi ita Archiepiſcopus iuſſerit, quærent ex ijs, quorum ſpectata probitas ſit; neq; teſtimonialibus ſolùm litteris, quæ ordinandorum nomine ſcriptæ afferentur, ſibi acquieſcendum putabunt; ſed aliunde etiam pro ſui officij partibus eadem diligẽter inueſtigabunt, ne vllus veritati fucus fieri poſsit.

Quod vt procedat facilius, nihil de moribus eorum quærent ex illis, quos vltrò ip

ſi

ſi anteactæ vitæ ſuæ teſtes produxerint; ſi hæc eadem ex alijs integris, atq; innocentibus viris cognoſci commodè poſsint: omnesq; præterea animi neruos intendent, vt in hoc genere nihil ab ſe iudicij, & prudentiæ deſiderari meritò poſſe videatur.

In primis verò ordinandorum nomina in ſacram ordinationem proximè celebrandam præcedēte ſacerdotum cuiusq; regionis, & plebis conuentu, qui ſingulis menſibus haberi ſolet, proponēt; omnesq; in Domino hortabuntur, vt ſi quam ob cauſſam aliquem ex propoſitis ad ſuſcipiendos ordines minus idoneum arbitrentur, eam liberè proferant, & exponant; vt poſtea vniuerſi cętus ſuffragijs decernatur, oporteatne illius mores, & vitam litteris commendari.

Cæterum litteræ, quibus huiuſmodi inquiſitio, & teſtificatio continebitur, ad Archiepiſcopum obſignatæ mittentur.

Quotieſcunq; autem ſtatis ſingulorum menſium diebus conuenient, hæc potiſsimum de omnibus clericis quærent; vtrum ſacramenta frequenter percipiant; vtrum functiones ritè in Eccleſia obeāt; vtrum in litterarum ſtudijs, cæteriſq; exercitationibus ſibi præſcriptis proficiant; vt, ſi expedire cenſuerint, illorum vel induſtriam, vel

ignauiam Archiepiſcópo probent; quo is, vel excitare languentes, vel iam excitatos iuuare pro cuiusq; meritò poſsit.

Quæ nam Archiepiſcopum præſtare oporteat.

CVm omnes Epiſcoporum functiones grauiſsimæ ſunt, tum ea, qua Eccleſiaſtici ordinis conferuntur, tanti eſſe ponderis meritò iudicatur, vt ſumma illi cūra cauere debeant, ne Apoſtolicam ſententiam negligentes cuiquam præproperè manus imponant; quo & indigni ordinibus initientur, & de ipſorum ordinum dignitate ſuſcipientium uitio detrahatur.

1.Tim.5.

Quoniam verò Mediolanenſis Eccleſiæ ſplendor ex peculiari quadam cura, & diligentia in idoneis clericis deligendis, ijsq; ritè promouēdis in primis elucet, laborandum Archiepiſcopo erit, vt quæ infra de hac tota ratione præſcribuntur, quam fieri diligentiſsimè poſsit, obſeruet.

Primum igitur dabit operam, vt quamplurimi ad Eccleſiæ miniſterium inſtituantur atq; ex his ij poſtea eligantur, qui, vt Clemens ait, dignè poſsint dominica ſacramēta tractare; ſciens melius eſſe Domini ſacerdotium paucos habere miniſtros, qui poſsint

Cōc. prou. 4. part 2. Clemen. in Epiſt 2. ad Iacob fratrē Domini. c. Tales. diſt. 23.

poſsint dignè opus Dei exercere, quãmultos inutiles: hos omnes, vt clericalis, religioſæq́; vitæ præceptis facilius informentur, Parochi, vel alius ſacerdotis, quem maluerit, curę, & fidei commendabit; aut in ſeminarium, aliumuè pium locum adſcribet, quo certiore via ad litteras, & ad omnem virtutem graſſentur: Quantum verò quiſq; in moribus, ſtudijsq; proficiat, aliquando quæret, ſingulosq; pro ſuo cuiusq; ingenij captu iuuabit.

Quotieſcunq; ſacram ordinationem habere ſtatuerit, eam quinque, & quadraginta circiter dies ante indici, Edictumq; Metropolitanæ Eccleſiæ valuis, alijsq; de more locis affigi, & a ſingulis præterea Parochis promulgari iubebit, vt qui vel primam tonſuram, vel minores, maioresuè ordines ſuſcepturi ſunt, euocentur. *Cõc. Prou. 4. par. 2.*

Illud itẽ videbit, vt dominico die quattuor ſtata ieiunij tempora, quibus ſacramẽtum ordinis miniſtratur, proximè præcedente, Parochi non modo ſollemne illud ieiunium huius rei cauſſa denuncient: ſed in ſua quiſq; Parochiali Eccleſia ſupplicationes piè, & religioſè, vel intus habeant, vel proſequente fidelium cætu, exteriorem, ſicuti conſuetudinis eſt, Eccleſiæ ambitum obeant; vt Dei, ſanctorumq; auxilio implora- *Cõc. prou. decr. 22.*

to, & Archiepiſcopus diuino lumine illuſtratus idoneos in militiam clericalem adſcribat; & qui adſcripti fuerint, in morum, vitæq; ſanctitate vberiores in die progreſſus faciant.

Certam quoq; diem proximam ſacræ ordinationi edicet, qua & præſcripta teſtimonia à promouendis afferantur, & ſtata examina ab ijſdem ſubeantur. Quæ dies primá tonſuram, minoresq; ordines petentibus feria quarta, ad maiores verò promoueri cupientibus feria ſexta diem ſacræ ordinationis proximè antecedens conſtitui poterit.

Conc. Prouin. 4. par. 2. Examini, ſi per occupationes Archiepiſcopales liceat, ipſe interſit.

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 5. Videat diligenter qui nam ad prẹſtitutũ tempus ordines ſuſcepturi conuenerint, & Parocho, ſeu cui magis expedire videbitur, mandet, vt nominibus, & deſiderio eorum, qui promoueri volunt publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, vita, & titulo a fide dignis accuratè inquirat, & teſtimoniales ipſius inquiſitionis litteras ad ipſummet Archiepiſcopum, quam primũ tranſmittat.

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 7. Vt verò ordinandorum delectus fiat, quibus diebus teſtificationes ad ſuſcipiendos ordines neceſſariæ approbãdæ erunt, Vica

rio

rio Generali, alijsq; prudẽtibus viris diuinæ legis peritis, & in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis ſibi adſcitis, promouendorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, titulum, & fidẽ inueſtiget, atq; examinet; curetq; nihil eorum omnino deeſſe, quæ ab initiandis afferri oporteat.

Neminem ordinabit, quem non vtilem, aut neceſſarium ſuis Eccleſijs iudicet; ad primam verò tonſuram nullũ admittet, qui ſpem maioris progreſsionis, etiam vſq; ad ſacerdotij gradũ non afferat; & de quo probabilis coniectura non ſit, eum non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtet, hoc vitæ genus delegiſſe. *Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 16* *ibid. c. 4.*

Si qui fuerint, qui beneficium aliquod obtineant, quod aliquem ordinem annexũ requirat, illum vt ſuſcipiat operam dabit; quod ſi pro ſola ſua voluntate renuerint ordinari, & eos vtiles, & neceſſarios Eccleſiæ ſuæ iudicauerit, ad eum ordinem ſuſcipiendum etiam compellere poterit. *Cõſt. Alex. 3. c. Quaeris de æta. & qualit.*

Familiarem ſuum non ſubditum ne promoueat, niſi per triennium ſecum fuerit cõ moratus; & beneficium, quacunq; fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat. *Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 9.*

In minoribus etiam ordinibus conferen

dis temporum interſtitia ſeruet;neq; ad plures ſimul quemquam admittat, niſi vel beneficio arctetur,vel Eccleſiæ ſuę vtilitas,aut neceſsitas cogat;maximè verò ſi ætas ſuppetat, vt ad ordines gradatim poſsit aſcendere.

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 11 Minores ordines ijs, qui ſaltem latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia conferat; vt eò accuratius quantum ſit huius diſciplinæ pondus poſsint doceri; ac in vnoquoq; munere ſe exerceant, idque in ea,cui adſcripti fuerint, Eccleſia,niſi forte ex cauſſa ſtudiorum abſint. Cumq; hinc ad altiores gradus,& ſacratiſsima myſteria ſit ingreſſus, nemo ijs initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribus ordinibus dignum oſtendat. Hi verò non niſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoueantur, niſi neceſsitas, aut Eccleſiæ vtilitas aliud expoſcat.

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 12 Nullum ad Subdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecũdum,ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueat; dignoſq; dumtaxat ad hos ordines aſſumat, quorum probata vita ſenectus ſit.

Ibid. Regulares quoq; nec in minori ætate,nec ſine diligenti examine ad dictos ordines

ma-

maiores admittat, priuilegijs quibuſcunq; quoad hoc pœnitus excluſis.

Duo ſacri ordines non eodem die etiam Regularibus cõferantur, priuilegijs, ac indultis quibusuis conceſsis, non obſtantibus quibuſcunque. *Ibid. c. 13.*

Neque etiam quo die quis prima tonſura initiatur, ad minorem aliquem ordinem promoueatur.

Habitudine corporis, vnde inceſſus, geſtusq; exiſtit, totum aliquando corpus, vel certè vnum aliquod membrum ita deformari poteſt, ut ex ea quis temporis interuallo irregularis reddatur. Ne quid igitur in re tanta præcipiti deliberatione peccetur, eã vel ad aliquorum ſacerdotum cõſilium, uel ad ſacerdotalem conuentum, qui ſemel ſingulis menſibus habendus erit, Archiepiſcopus referat; nec quemquam admittat, niſi corporis deformitas, quæ irregularem non faciat, ingenij ui, atq; animi pulchritudine ſarciatur.

Si quando acciderit, ut cum illegitimè natis in ordinibus minoribus diſpenſandũ ſit, id cum illis dumtaxat, qui ex ſoluto, ſolutaq; nati ſunt, neq; paſsim, ſed rarò, & tũ agat, cum ingenij præſtantia, uitæq; probitas eos non ſolùm paternæ incontinentiæ non imitatores, ſed ipſi etiam ordini, ſan-

ctæq;

æq; Dei Eccleſiæ utiles fore oſtendat.

Cõc. Trid. ſeſſ.23.c.16 Omnes ad quemcumq; ordinem promouendos alicui adſcribat Eccleſiæ, ubi ſuis fungantur muneribus: Quem locũ, ſiue Eccleſiam ſi eo incõſulto deſeruerint, illos ab ordinum exercitatione ſuſpendat; Nulli autem alius ordo ante conferatur, quam teſtificationẽ attulerit ſe in Eccleſia, cui adſcriptus eſt, præſcriptas ſibi functiones obijſſe. Quod ſi quacunq; de cauſſa ex ſacrorũ Canonum permiſſu plures ſimul minores ordines cuiquam cõtulerit; eidem arbitratu ſuo functiones præſcribat ad unumquemq; ordinem, quem ille ſuſceperit, pertinentes.

Subditos ſuos Diœceſanos ſolummodo ordinet; Diœceſani autem dicuntur uel origine; uel beneficio, quod in Diœceſi obtineant; uel domicilio, quod in ea habeant, etiamſi alibi nati ſint.

Cõc. Trid. ſeſſ.23.c.3. Per ſemetipſum ordines cõferat; quod ſi ægritudine, aliauè iuſta cauſſa impeditus non poſsit; ſi uel in urbe, uel in Diœceſi aliquis Epiſcopus aderit, ut ferè ſemper aliquem adeſſe contingit, huic ordinandi perſonas tantum ſibi ſubiectas, onus imponat.

Cõc. Trid. ſeſſ.14.c.2. Caueat tamen ne Epiſcopus aliquis titularis, uel alius uigore cuiuſuis priuilegij ſibi de promouendo quoſcunq; ad ſe veniẽtes pro tempore conceſsi ſubditum aliquẽ

Me-

Mediolanenſis Diœceſis, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſq; ſuo expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſorijs ad aliquos ſacros, aut minores ordines, vel primam Tonſuram promoueat.

Clericum ſubditum ſuum non aliter, quã iam probatum, & examinatum ad aliũ Epiſcopum ordinandum dimittat; litteriſq; teſtimonialibus ei datis hæc in primis teſtata faciat; Vitæ, & morum integritatem, doctrinam, Eccleſiaſticum ordinem, quo eſt proximè initiatus, natales, & diſpenſationem, ſi quam ſuper illis obtinuerit. *Cõc. Trid. ſeſſ 23. c 3.* *Conc. Prouinc. 3. tit. De ijs, quæ partim ad ordinis ſacramentũ.*

Si verò ad maiores ordines prouehẽdus erit; hæc addet, ætatem, titulum, cenſum beneficij, vel penſionis, vel patrimonij, quem ad tuendam cõmodè vitam ſatis eſſe cõſtet.

Clericos, qui abſunt a Diœceſi, litteraſq; dimiſſorias petũt, ad ſe examinis cauſſa euocet; Quod tamen examen, ſi commodè præſtari poſſe cenſuerit, ſpeciatim Epiſcopo delegare poterit, in cuius illi Diœceſi commorantur: litteras verò dimiſſorias ante ne det, quam habiti examinis litteras ab eo, cui illud commiſit, acceperit.

Sæpè fit, vt vel hominis mores mutentur, vel quod de illius vita minus antea exploratum erat, id poſtea patefiat, atq; ideo, qui *Cõc. prou. 4. par. 2.*

ab

ab Archiepiſcopo, ſuperioreuè aliquando probatus,dignusq́; etiam aliquo ſacro ordine iudicatus fuerit,is poſtea reperiatur indignus, neque idoneus cenſeatur, in quem vel idem,vel maior ordo conferatur. Vt igitur huiuſmodi incommodo occurratur,videat inprimis Archiepiſcopus, ne quemquam, antequam ſacræ ordinationis tempus proximè inſtet, litteris teſtimonialib., dimiſſorijsuè ad ordines ab alio Epiſcopo ſuſcipiēdos ſine neceſſaria cauſſa proſequatur. Quibus litteris poteſtatem cuiquā non faciat plures ordines ſuſcipiendi, quam illos ipſos, quos vno, eodemq́; tempore ab eo ſuſcipi voluerit, ac per ſacros Canones, Conciliaq́; licuerit.

Certum quoq; tempus ſuſcipiendi ordinis, ad quem quis promouendus eſt, in illis præſtituat; menſtruum nempe,vel bimeſtre, uel longius, prout diſtantiam loci, aliāuè cauſſam poſtulare cognouerit. Quo præfinito tempore elapſo litteras eo nomine a ſe conceſſas in poſterum nullius fore roboris ijſdem litteris disertè teſtetur;quas etiam Cancellario Archiepiſcopali ab eo, cui conceſſæ fuerint, reddi iubebit.

Cōc. Trid. eſſ.23.c.8. Ad pœnam verò ſuſpenſionis a collatione ordinum per annum (quemadmodum Concilio Trid. decernitur)euitandam,nullum

lum clericum alienæ Diœceſis admittat, niſi eius probitas, & mores Ordinarij ſui teſtimonio commẽdentur; & quæ ſupra præſcripta ſunt, de eo omnia teſtata fiant; habitoq́; præterea de illius peritia diligenti examine.

Nullum omnino clericum regularem, ſæcularemuè, qui regularium more in communi vitæ diſciplina ſit, beneficiumq́; Eccleſiaſticum pacificè non poſsideat, ad ordines ſacros promoueat, niſi a ſuperiore fidẽ ille attulerit, ſe religionis, cui adſcriptus eſt, profeſsionem habuiſſe; iuratusq́; affirmet ſcripto manu ſua ſubſignato coram Archiepiſcopo ſe id ſpontè feciſſe, ratumuè habuiſſe. Scriptum verò in Archiuio ad ſeruandum Archiepiſcopus curet. Bulla Pij v. pridie id. Oct. 1568. *Cōc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. Cōc. Prou. 3. decr. 23*

Teſtimoniales regularium litteras non ante admittat, quam ab ordinarijs locorũ appareat eum, qui litteras reddidit, uerè eſſe ſuperiorem illius Monaſterij, in quo ordinandus domicilium habet.

Litteras dimiſſorias eas tantũ probabit, quæ ab Epiſcopis, intra quorum Diœceſis fines ordinandi exiſtunt, conceſſæ fuerint: reijciet autem quaſcumq́; Abbates, alijuè quantumuis exempti, collegia, aut capitula etiam Eccleſiarum Cathedraliũ clericis ſæcularibus conceſſerint; non obſtantibus *Conc. Tri. ſeſſ. 23. c. 10.*

qui-

quibuſcumq; priuilegijs, prǽſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus.

Conc. Tri. ſeſſ 7. c. 10.

Ne illas quidem admittet, quæ à Capitulis Eccleſiarum ſede uacante, infra annum a die uacationis impetratæ fuerint; niſi beneficij Eccleſiaſtici recepti, ſiue recipiendi occaſione ordinandus arctatus fuerit.

Nauar. conſil. 5 de reſcript. Rebuff. in Prax. beneſ de litt. dimiſ n. 39

Admittere tamen poterit litteras dimiſſorias ab alienis allatas, etiamſi mortuus, uel alio translatus Epiſcopus fuerit, qui eas conceſſerit; dũmodo uetuſtiores ne ſint duobus menſibus.

Nulli uerò Clerico ſæculari alienæ Diœceſis, ac ne regulari quidem litterarum auctoritate, quas dimiſſorias habent, ordinẽ aliquem maiorem minoremuè, ac ne primã quidem Tonſuram, tempore illarum litterarum præterito conferat. Quòd ſi nullum ijſdem litteris ſpatium temporis præſcriptũ ſit, ne item in ſacra ordinatione quẽquam promoueat, niſi eas recenter, aut ſcriptas, aut renouatas, confirmataſuè is afferat; atq; ita quidẽ recenter, ut non amplius duobus, tribusuè menſibus ante ſacræ ordinationis, qua ille proximè initiandus eſt, tempus, datæ confirmatæuè ſint: modo aut loci diſtantia, aut diuturna ordinem ſuſcepturi ab ſuo Ordinario abſentia, aliauè id

genus

genus cauſſa vetuſtiores litteras eiuſdem iudicio admitti, probariuè non poſtulet.

Idipſum quoque cauebit in teſtimonialibus morum litteris, quas etiam huius Mediolanenſis Diœceſis Clerici, alijuè quicunque eo dè genere afferent.

Quæ verò ab alienæ Diœceſis Clericis, Regularibusuè, qui ab ſua Diœceſi, Monaſterioue proximè aliquandiu abfuerint, afferẽtur; eas reddi ſibi, exhiberiq; curet non modo ab eorum Epiſcopo, ſuperioreuè: ſed ab illo etiam, apud quem proximè commorati fuerint, eiusuè auctoritate ſcriptas, atq; obſignatas. Quod item a ſuis Clericis præſtari iubeat, qui in aliena Diœceſi ad aliquod tempus proximè fuerint.

Verum qui eo ſpatio, quod litteris præfinitum eſt, aut ſi nullũ eſt præfinitum, duobus tribusuè poſt datas, renouatasuè litteras menſibus ordines non ſuſceperit; tunc litteras illas, vel dimiſſorias, vel morum teſtimoniales eo nomine ſibi a ſuo ordinario, vel Superiore primum datas, vel recenter confirmatas, renouatasuè, quam primũ per loci diſtãtiam poteſt, eidem per ſe, vel per alium reſtituat, reddatuè.

Neminem ad ſacros maiores ordines prouehat, titulo beneficij, vel penſionis, patrimonij, alteriusuè cenſus, qui ei ad victum

ho-

honeſtè non ſuppetat; & ex quo quinquaginta ſaltem aureorum in ſingulos annos prouentus non capiatur: quem ab illo non modo quoad ius proprietatis, ſed etiam quoad ius poſſeſsionis pacificè obtineri, manifeſtum ſit.

Cõc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2 Patrimonium, vel penſionem obtinentes ad eorum titulum ne promoueat, niſi eos pro neceſsitate, vel commoditate Eccleſiæ ſuæ iudicauerit aſſumendos. Atq; ideo in ipſa ordinum collatione rationem aliquã cum eis ineat, qua alicui Eccleſię eos adſcribi, & inſeruire cogantur; quam ſe inconſulto, & poteſtatẽ non faciente, non deferant.

Nauar. Conſil. 14. De Tẽp. ordin. Patrimonium autem rebus immobilibus contineatur; quæ alienari, renunciariuè ante non poſsint, quam Eccleſiaſticum beneficium ſufficiens ſint adepti. Quod ſi quis ad titulũ patrimonij mobilibus rebus cõprehenſi promotus fortaſsè fuerit, ſtatim in res immobiles conuertatur.

Nullum ad ſeminarij titulum ordinet; præterquam in caſibus litterarum Apoſtolicarum hac ipſa de re ſcriptarum permiſſis: ſeruatiſq; omnino conditionibus, quæ ijſdem Apoſtolicis litteris continentur.

Vbi primum a Parocho, vel ab alio, cui id muneris ipſe detulerit, ad ſe tranſmiſſæ fuerint informationes de Natalibus, ætate,

&c

Digitized by Google

& moribus ſumptæ; eas accuratè diſcutiat; quod quiq; teſtes deponant, obſeruet; & vtrum ſatis plenæ ſint omni adhibita diligentia videat; qua diligentia tum maximè maiore vtetur, cũ ſuperius deſcriptis diebus recognitio, ſeu delectus Ordinandorum habebitur.

Quo delectu abſoluto, feria ſexta iubeat Archiepiſcopus omnes in ſacellum Archiepiſcopale ſecedere, quò & ipſe conueniat; vbi omnibus congregatis, Pij ſecundi hoc de genere cõſtitutiones per Cancellarium Archiepiſcopalem legi mandabit; deinde vel ipſe, vel alius eius nomine breuem ſermonem de præparatione pro ordinibus ſuſcipiendis habebit; quo vel maximè exponere poterit quales Ordinandos eſſe oporteat; quorum mores, & vitæ genus ex Epiſt. 1. ad Tim. c. 3. colliget. Monebit item quam dignè ad ordines accedendum ſit; peccata, vt quiſq; confiteatur; ad ſacroſanctam Euchariſtiam ſumẽdam ſe præparet, & ita deinceps viuere ſtudeat, vt non ſolum præeſſe, ſed etiam prodeſſe poſsit.

Illud autem hoc ſermone in primis ſpectetur, vt quæ monita poſtero die de libro Pontificali leguntur, diſertis verbis, ijsq; vulgariter conceptis explicentur vberius.

Verum eius ſermonis vis in Subdiaconis

potiſsimùm monēdis verſetur; quò rectius dum integrum eſt, deliberare poſsint, an caſtitatem, quæ perpetuò illi ordini eſt annexa, profiteri velint; quidq; Deo auxiliante præſtare ſe poſſe ſperent, accuratè videant, neq; præter Dei ipſius honorem, & gloriā in eo Eccleſiaſtico munere ſuſcipiendo, propoſitum quidquam aliud habeant.

Non ſolum autem pijs cohortationibus populum, clerumq; vniuerſum hoc ſacrarū ordinationum tempore ad omnia pietatis officia excitare Archiepiſcopus debet; ſed ipſe etiam ieiunijs, precationibus, alijsque religioſis officijs, & ſpiritualibus exercitationibus acrius his diebus inſiſtens illud vnum a Deo maiore animi contentione exponere, vt dignos tantum, & Eccleſiæ, diuinoq; obſequio aptos, & vtiles ad hoc ſacrum miniſterium inſtitutos promoueat.

Cōc. Trid. ſeſſ. 23. c. 8. Cōc. Prou. 4. par. 2.

Ordinationes ſacrorum ordinum ſtatutis à iure, atq; infrà deſcriptis temporibus in Metropolitana Eccleſia, vocatis, præſentibusq; ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebret: ſi autem in alio Diœceſis loco, præſente Clero loci, digniorem, quantum fieri poterit, ſemper Eccleſiam adeat.

Si cui verò per Apoſtolicum indultū aliquem extra tempora ordinē conferet, huic ſtatim ſuſcepti ordinis documentum confici

fici mandet; cui, ſi Cancellarius Archiepiſcopalis intereſſe non potuit, ipſe manu ſua ſubſcribat.

Primam Tonſuram licet quocunq; die, hora, & loco, prout magis expedire cenſuerit, cōferre poſsit; eam tñ in Eccleſia, & inter Miſſarũ ſollemnia cōferri maximè decet.

Capit. duo De Temp. ordin.

Minores autem ordines Dominicis, & alijs feſtis diebus, dũ Miſſa celebratur; quos vni, duobusuè ad ſummum conferat, ne generalem videatur ordinationem celebrare. Quæ generalis ordinatio, qua maiores æquè, minoresq; ordines, & prima Tonſura conferri poteſt, non niſi præſcriptis a iure temporibus per anni circulum habeatur: nempe Sabbato poſt diem feſtum diuæ Luciæ; Sabbato poſt primam Dominicã Quadrageſimæ; Sabbato poſt quartam Dominicam item Quadrageſimæ; Sabbato Sãcto; Sabbato poſt Pentecoſt. & Sabbato poſt feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis.

Quibus diebus, ſi in Metropolitana Eccleſia ſacra ordinatio celebretur, Matutinis horis opportuno tpe abſolutis, Canonicis, & Clero eiuſdẽ Eccleſiæ, vt moris eſt, proſequentibus, Archiepiſcopus ad eam progreditur; ibiq; inter Miſſam ab ſe ſollemni ritu celebrandã ad Romani Pontificalis præſcriptum ordinat; hoc tamen modo pro-

Digitized by Google

pter peculiarem Mediolan. Eccleſiæ ritum.

Poſt ingreſſam promouet initiandos prima Tonſura.

Poſt Hymnum, Gloria in excelſis, ſi dicatur, alioquin poſt collatam primam Tonſuram, ad minores ordines prouehit.

Poſt orationem, ſiue collectam de die, & pro ordinandis Subdiaconos creat.

Poſt Epiſtolam, & primum verſic. in Allel. quando dicitur; alioquin ſtatim poſt Epiſtolam Diaconos inſtituit.

Poſt ſecundum verſ. in Allel. vel poſt cantum Presbyteratus ordinem confert. In reliquis ordo Pontificalis omnino ſeruatur.

Poſt Euangelium recitatum in Archiepiſcopali ſolio ſedens breuem habet ad ipſos ordinatos orationem, qua quãtum, & quale munus ſuſceperint, edocet.

In hoc autem grauiſsimo ordinationis munere celebrando illud diligenter cauebit, ne vel in verbis formalibus efferendis, vel in ipſorum ordinum inſtrumentis tradendis vllo modo deſit. Pontificale ipſum attentè reſpiciat, paſsimq; quid acturus ſit, videat; neq; tantum miniſtris fidat, quin ipſe etiam, præcipuè in ſacerdotij ordine cõferendo, curet vt in Calice vinum ſit, atq; hoſtia patenæ impoſita. Quæ ſecretò dicenda ſunt, ea diſtinctè, atq; elata aliquantulũ

voce

voce enũtiet, vt qui Presbyteri creati ſunt, poſsint ipſi etiam ſimul eadẽ pronunciare.

Dum conferendis ordinibus vacat, cogi tationes omnes, curasq; a tanto miniſterio alienas excludat; ſeq; ipſum attentè ſæpius colligens vberrimos diuinæ gratiæ fructus Ordinatis a Deo imploret; vt vel ſic in hac multa meſſe operarios complures inſtituiſſe in Domino glorietur.

Quomodo Natales, ætas, mores, vita, & titulus ordinandorum inquirenda, & probanda ab eo ſint, cui Archiepiſcopus mandauerit.

QVisquis Archiepiſcopi iuſſu de Promouendorum natalibus, ætate moribus, vita, & titulo cognoſcendi onus ſusceperit; poſtquam eorum nomina frequenti populo in Eccleſia fuerint enunciata, hanc inquirendi rationem inire debebit.

Primum ex libro matrimoniorum, ſi extet, exemplum ſumet, cuius teſtimonio probetur Ordinandi parentes legitimo inter ſe matrimonij vinculo fuiſſe coniunctos: Hoc verò litteris incluſum, ſuoq; & duorum teſtium chirographo confirmatum, & obſignatum ad Archiepiſcopũ in hanc ſubſcriptam formulam mittet.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.D. Federicō tit. S. Mariæ Angelorum S.R.E. Cardinali Borromæo nuncupato S. Mediol. Eccleſiæ Archiepiſ. N. Vicarius foraneus, Plebis N. ſiue Parochus N. Mediolan. Diœceſis ſalutem in Domino, debitamq; reuerentiam, ac mandatorum ſuorum obedientiam.

NE quid in nobis deſiderari debita diligentiæ pateremur, ſtatim litteris Illuſtriſs. & Reuerendiſs. V. Domin. acceptis, quibus ſcriptum erat, vt de Natalibus N. Filij N. & N. iugalium N. huius plebis, in clericalem militiam abſcribi cupientis, accuratè cognoſceremus, librum matrimoniorum Parochialis Eccleſiæ N. dictæ Plebis, ſedulò tamen antè recognitum conſuluimus, in manus ſumpſimus, & in eo notam matrimonij inter dictos N. & N. iugales anno.... contracti perquiſiuimus, ac ſub numero... folior... facie cōperimus, vidimus, legimus, ac diligēter inſpeximus ſub die ... mēſis ... dicti anni... ſimilib. verbis conceptam, atq; deſcriptā eſſe videl.

Te-

Tenor notæ in libro deſcriptæ hoc loco ponendus.

Et quia matrimoniorum librum prædictum apud N. dictæ Parochialis Eccleſiæ curatum legaliter, & canonicè detentum, debitaq; diligentia, & cura aſſeruatum, & cuſtoditum, atq; inſertam notam in eo deſcriptam minimè deletam, obliteratam, abolitam, aut vitiatam, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentem cognouimus, Ideò præmiſſa omnia, & ſingula Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Domin. Veſtræ renunciantes, eidem præſentes manu noſtra obſignatas, noſtriq; impreſſione ſigilli munitas in præmiſſorum fidem, ac teſtimonium dirigimus, atq; tranſmittimus. Dat. . . . die . . . Menſ. . . . An. . . .

Codicem præterea, in quo eorum, qui baptizantur, nomina deſcribi ſolent, accuratè inſpiciet; vbi ſi illius, qui initiandus eſt, nomen, cognomen, & diem certũ, quo baptizatus fuit, compererit, exemplum ſumet, atq; ab ſe, duobusq; teſtibus, ſi fieri cõmodè poſsit, ſubſcriptum, & obſignatum, litteris incluſum ad Archiepiſcopum in hunc planè modum tranſmittet.

Illuſtriſs.& Reuerendiſs. D.D. Federico tit. S. Mariæ Angelorum S.R.E. Cardinali Borromæo nuncupato S. Mediolanen. Eccleſiæ Archiepiſcopo N. Vicarius Foraneus, Plebis N. ſiue Parochus N. Mediol. Diœceſ. ſalutem in Domino, debitamq; reuerentiam, ac mandatorum ſuorum obedientiam.

NE quid in nobis deſiderari debita diligentia pateremur, ſtatim litteris Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. V. Dom. acceptis, quibus ſcriptum erat, vt de ætate, & natalibus N. Filij N. & N. iugalium N. huius plebis clericali charactere inſigniri cupientis, accuratè cognoſceremus, librum baptizatorum Parochialis Eccleſiæ N. dictæ Plebis, ſedulò tamen antè recognitum, conſuluimus, in manus ſumpſimus, & diligenter in eo perquiſiuimus, & inuenimus dictum N. ſupradictum N. & N. iugalium filium die .... Menſis .... Anni .... baptizatum fuiſſe; cuius notã in eodem libro deſcriptam ſub numero .... foliorum ....

fa-

facie nos vidimus, legimus, & diligenter inſpeximus, eamq́; ſimilibus verbis conceptam eſſe comperimus, videlicet.

Hic ponatur tenor notæ in libro deſcriptæ.

Et quia baptizatorum librum prædictum apud N. dictæ Parochialis Eccleſiæ curatum legaliter, & canonicè detentum, debitaq́; diligentia, & cura aſſeruatum, & cuſtoditum, atq; inſertam notam in eo deſcriptam; minimè deletam, obliteratam, abolitam, aut vitiatam, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentem cognouimus, Ideò præmiſſa omnia, & ſingula Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dom. Veſtræ renunciantes, eidem præſentes manu noſtra obſignatas, noſtriq́; impreſſione ſigilli munitas, in præmiſſorum fidem, ac teſtimonium dirigimus, atque tranſmittimus. Dat. ... die ... Menſ. ... An. ...

Si verò libri huiuſmodi nulli vſquã ſint, viros probos, ac fide dignos ex eadem vicinia, aliosuè, qui illum probè nouerint, adhibebit; qui duobus item probis viris præſentibus, vel, ſi præſtò eſſe poſsit, adſtante

ſtante Notario, de ætate, & natalibus Ordinandi verum ſe eſſe faſſuros iureiurando profiteantur. Tum ſeorſim ſingulos coram eodem Notario, duobusvè teſtibus diligenter interrogabit, eorumq; dicta ſcribendo, hæc potiſsimum ſciſcitabitur.

1 Vtrum nouerint N. cuius nomẽ, vt promoueri ad ordines poſsit, in Eccleſia propoſitum fuerit.

2 Vtrũ illius parentes, & qua occaſione, & quamdiu nouerint.

3 Vtrum N. eorum eſſe filium ſciant, & qua ratione compertum habeant.

4 Vtrũ quos veros eiuſdem N. parentes eſſe teſtantur, ab ijs ſciant illum pro filio habitum, educatum, inſtitutum, & erudiendum Præceptoribus traditum; ab alijs verò eorumdem filium appellari, & ſine vlla ſuſpicione iudicari.

5 Vtrũ quo anno, menſe, die, loco deniq; natus ſit, teneant; quæuè præcipuè cauſſa ſit, cur harum omnium conditionum meminerint; quam ſatis probabilem, & bonam attuliſſe videri poterunt, ſi dixerint, vel ſe eodem anno, & menſe vxorem duxiſſe, vel filio auctos fuiſſe, vel N. de ſacro Fonte ſuſcepiſſe, vel liberos, aut vxorem, aut patrẽ, matremuè ſibi eodem menſe deceſsiſſe; vel quid aliud huiuſmodi accidiſſe, quo probent

bent eius quoque rei, qua de quæritur, ſe retinere memoriam potuiſſe: cum alioquin rerum multò ante præteritarum recordatio nem facilè deponamus, niſi ea ſigno aliquo illuſtri fuerit confirmata.

Interrogentur præterea, vtrum N. ex legitimis nuptijs natum eſſe cognitum habeant; & vndè legitimos coniuges eiuſdem parentes eſſe didicerint.

1 An quo tempore matrimonium inter eos per verba de præſenti contractum eſt, interfuerint, & verba ipſa audiuerint.

2 An ex aliorum dũtaxat ſermone cognouerint, & quorum, & quamdiu.

3 An cõmuni omniũ illius Parochiæ opinione, & voce, ſine vlla prorſus dubitatione legitimi coniuges habeantur.

4 An vitam ſub iiſdem tectis, & ſimul degant, ſeq; vt bonos coniuges decet, mutuò diligant; Atq; id quomodo, quare, & quãdiu nouerint.

5 An ſingulare quidpiã eo tempore meminerint accidiſſe, recordatione cuius, in memoriam quoque loci, & temporis celebrati matrimonii reuocentur.

Interrogari etiam ipſius Ordinandi Parentes de ætate filii, ſuoq; matrimonio poterunt; vt quomodo cum teſtium fide conueniant, intelligatur.

Quòd

Quòd ſi ipſe Parochus, vel quiuis delegatus, de initiandi ætate, parentumq; eius legitimo matrimonio certi aliquid afferre poſsit: id ei litteris propria manu exaratis teſtificari licebit, quibus in verbo ſacerdotis ſe vera fateri declaret, ſuęq; ſcientiæ cauſſam exponat.

Superiorem interrogandi rationem prudenter pro teſtium ipſorum moribus adhibere ſtudeat, vt ſimplicioribus ad rē, prout habet, ingenuè confitendam adiumento ſit; callidioribus verò ad id, quod non eſt, pro vero affirmandum viam non ſternat, dum ſpeciatim cauſſas teſtificationis requirit, ab iis, quos generatim interrogare æquius fuerat.

Vt autem quanti patrimonialis titulus æſtimetur intelligi poſsit, bona ipſa cum ſuis cohærentiis diligenter inſpicere oportebit: Quæ ſi locata fuerint, inſtrumenta locationum conſulenda erunt, & ex ijs cenſus ratio colligenda.

Verum ſi titulus beneficij fuerit, vel penſionis, Bullæ, collationes, poſſeſsiones, & id genus alia attentè, & accuratè conſiderare neceſſe erit; & bona, redditus, & prouentus, quemadmodum de patrimonialibus dictum eſt, publicè in Eccleſia frequēti populo euulgare. Quod quidem duobus pro-

Digitized by Google

proximè ſequentibus dominicis diebus,ab acceptis de prædicta inquiſitione habenda Archiepiſcopi litteris, faciendum erit; teſtesq; item aliquot, ſi opus fuerit, de bonorum, & cenſus ratione examinandi. Teſtimonium verò obſignatum, & proprij ſigilli impreſsione munitum ad Archiepiſcopum in hanc planè formam mittendum.

Pro titulo Patrimoniali.

Illuſtriſs.& Reuerendiſs. D.D. Federico Tit. S. Mariæ Angelorum S.R.E. Cardinali Borromæo nuncupato Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo N. Vicarius Foraneus Plebis N. Mediolanenſ. Diœceſ. ſalutem in Domino, debitamq; mandatorum ſuorum obedientiam.

DIlectum nobis in Chriſto N. huius Plebis Clericũ in quattuor minoribus ordinibus conſtitutũ, ad Subdiaconatus, aliorumq́; ſacrorum ordinum ſuſceptionẽ adſpirantem, & ad titulum ſui Patrimonij,

de quo infrà, promoueri cupientem, In Eccleſia N. duobus diebus feſtis inter Miſſarũ ſollemnia, populo ad diuina audiendũ adſtante, publicè denunciauimus, & publicauimus, necnon patrimonium eius huiuſmodi in infraſcriptis bonis ſtabilibus v3. . . poſitum iuxta ab vno &c. & alia ſua veriora latera, vt ab eodem N. aſſeritur, liberis, & alicui hypothecæ, oneri, vel fideicõmiſſo minimè obnoxijs, & ad ipſum N. pleno iure vtilis, & directi dominij ſpectantibus, & pertinentibus, conſiſtere: bonaq́ prædicta, vt etiam idem N. aſſeruit, eſſe fructifera, & annui redditus . . . . & vltra, cunctis inſinuauimus, & ſignificauimns. Inſuper vniuerſos, & ſingulos ſcientes dicto N. ſic promouendo canonicum aliquod circa præmiſſa obſtare impedimentum, vt illud reuelare deberent, monuimus; & quia his omnibus in exequutionem litteraram Illuſtriſ. & Reuerendiſſ. D. Veſtræ nobis deſuper directarum, & in obſeruantiam, ac iuxta præſcripta Decretorum Tridentini, Prouincialiumq́ Conciliorum

ciliorum

ciliorum peractis, nullum fuit detectum impedimentum, nec contra præmiſſa quidquam allatum, præſentes litteras noſtras manu noſtra obſignatas, ſigilliq; noſtri impreſſione munitas Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dom. Veſtræ in præmiſſorum fidem, ac veritatis teſtimonium dirigimus, atq; tranſmittimus. Dat. &c.

Pro titulo Beneficij, vel Penſionis.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.D. Federico tit. Sanctæ Mariæ Angelorum S.R.E. Cardinali Borromæo nuncupato, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo N. Vicarius foraneus Plebis N, Mediolanenſis Diœceſis ſalutem in Domino, debitamq; mandatorum ſuorum obedientiam.

DIlectum nobis in Chriſto N. huius Plebis clericū in quattuor minorib. ordinibus conſtitutum, ad Subdiaconatus, aliorumq; ſacrorum ordinum ſuſceptionem adſpirantem, & ad titulum beneficij Eccleſiaſtici N. . . quod obtinet, promoueri

cupien-

cupientem, duobus diebus feſtis, inter Miſſarum ſollemnia, populo ad diuina audiendum adſtante, In Eccleſia N. ... publicauimus, & publicè denunciauimus; necnon fructus redditus, & prouentus dicti benefieij, valorem annuum. . . . vt ab eodem N. aſſeritur, excedere, cunctis ſignificauimus, & declarauimus. Inſuper vniuerſos, & ſingulos ſcientes dicto N. ſic promouẽdo canonicum aliquod circa præmiſſa obſtare impedimentum, vt illud reuelare deberent, monuimus: Et quia his omnibus in exequutionem litterarum Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dom. Veſtræ nobis directarum; & in obſeruantiam, ac iuxta præſcripta Decretorum Tridentini, Prouincialiumq́ Cõciliorum peractis, nullum detectum fuit impedimentum, nec contra præmiſſa quidquam allatum, præſentes litteras noſtras manu noſtra firmatas, ſigilliq́ noſtri impreſſione munitas, Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Domin. Veſtræ in præmiſſorum fidem, ac veritatis teſtimonium dirigimus, ac tranſmittimus. Dat. &c.

De

Digitized by Google

De moribus deniq;, & vita à fide dignis diligenter inquirat.

Quidquid autem ex teſtium fide de ætate, natalibus, vita, moribus, & titulo promouendi Deputatus cognouerit, id omne litteris ſuis incluſum, & obſignatum, quindecim ſaltem ante ſacram ordinationem diebus Archiepiſcopo reddendum curabit. Quo tempore ſi nullam diligentiæ ſuæ partem deſiderari paſſus fuerit, neque tamen huiuſmodi negotium confici rectè potuerit, ſolus Ordinandus in culpa eſſe cenſebitur; qui à ſuſcipiendis ordinibus excludetur, niſi aliter Archiepiſcopus iuſta aliqua de cauſſa ſibi faciendum eſſe ſtatuerit.

In litteris Delegati, quibus ea incluſa mittentur, quæ accurata inueſtigatione fuerint explorata, præter natales, ætatem, & titulum Ordinandi, teſtium quoq; ipſorum fides, & mores, qui, & cuiuſmodi ſint, fusè, & perſpicuè declarabitur; eęq; ad Archiepiſcopum tranſmiſſæ Vicario Generali, ſiue alteri videndæ, & maturè conſiderandæ tradentur; qui ſingulorum proceſsibus viſis, rem omnem ante quartam feriam Archiepiſcopo referet.

Quæ ab Examinatoribus præſtanda ſint.

Cõc. prou. 5. par. 3. EXaminatores, qui quo primum tempore in Synodo publicè delecti ſunt (ij.n. ſemper, ſi fieri poſsit, ad hoc quoq; genus examinis adhibendi erunt) nihil ſe gratiæ, nihil amicitiæ, nihil ſanguini tributuros iu reiurãdo ſanctiſsimè receperunt, ita in hoc grauiſsimo munere verſari debebunt, vt omni prorſus affectione ſublata, ſolam Dei gloriam, ſanctæq; Eccleſiæ cultum propoſitum habere videantur.

Caueant ne examinis cauſſa, vel minimũ quid, ac ne eſculentum quidem, aut poculentum accipiant.

Noſſe autem in primis Examinatores oportet ſibi tantæ rei onus impoſitum, vt ſi minus, quam deceat, fortiter ſubſtinuerint, leuiſsimæ cuiuſuis culpæ Deo ipſi rationẽ reddituri ſint. Quamobrem nulla eos neq; formido, neque ſpes, neque gratia, neque præmium debet a tam graui munere ritè, atq; integrè exercẽdo diducere: Quod erit factu facilius, ſi diuinæ animaduerſionis timorem ſibi ita ob oculos ponent, vt neminem, quem indignum reperiant, probent; neminem; quem idoneum facto periculo nouerint, reprobent: In quo quidem cum

ſummo

ſummo iudicio ſumma grauitas adhibenda erit, & ſumma prudentia.

Poſtquam in locum examini obeundo conuenerint, a precatione vſui Congregationum præſcripta auſpicentur; illud ex animo flagitantes, vt quod ritè diuina ope freti inſtituunt, id eadem iuuante ritè perficiant: Precationem verò pronunciet Pręfectus examinis.

Nullus Examinator quemquam examinādum alij collegæ commendet.

Ad nullius item examen accedat, ſuffragijuè ferendi ius habeat, niſi quem Archiepiſcopus, aut eius Vicarius Generalis delegerit.

Si quis priuatim examinandum aliquem inſtituerit, non modo ad examen non adhibeatur, ſed ne adeſſe quidem permittatur; in cuius locum alius ab Archiepiſcopo, vel Vicario Generali ſubſtituatur.

Illud verò diligentiſsimè caueatur, ne quis alterius nomine fieri de ſe periculum patiatur.

Interrogentur quicunq; in hanc examinis arenam deſcendunt, vtrum alias propoſitis ad examinandi rationē quæſtionibus, ſibi ipſi quaſi proluſerint, ſeq; ad hoc totū genus antea comparauerint.

Ne prius examē inſtituatur, quā Archiepi-

ſcopus, vel Vicarius Generalis, tresq; ſal-tem examinatores interſint, ſi de ſacris ordinibus initiando periculũ fieri oporteat.

Omnium, qui ad examen accedunt, vultus, veſtitus, inceſſus, geſtus, oratio diligenter notetur. Si qui autem, vel induti veſtib. eccleſiaſtici ordinis diſciplinæ minimè cõgruentibus, vel ſine præſcriptæ formæ tonſura extiterint, ijs aditus ad examen non ante aperiatur, quam & veſtiti decentius, & capillo ritè abraſo redierint.

Qui ætatis, natalium, aut diſpenſationis conceſſæ, beneficij eccleſiaſtici, vel penſionis, patrimonijuè teſtificationes ſcriptas, eaſdemq; a Vicario Generali recognitas, illiusq; ſubſcriptione munitas, probataſque non ante attulerint, & exhibuerint, ad examen non admittantur, niſi Archiepiſcopus vel aliter expedire cenſuerit, vel peracto examine proferri, recognoſciq; voluerit.

De nullo itẽ periculum fiat, niſi ab Examinatoribus ex Cancellario Archiepiſcopali cognitum fuerit, quænam de eo inquiſitiones, Archiepiſcopi iuſſu habitæ, perſcriptæ, aliorum litteris ſignificatæ, delatæuè ſint.

Neque verò ſolùm qua quiſq; ſit litterarum cognitione inſtructus tentetur, ſed etiã vtrum canendi peritiam ad ordinum, quos

tum

tum ſumit, functiones ritè præſtandas neceſſariam habeat. Ac ſi ad vnum aliquem ex ſacris ordinibus promoueri ſe petat, experiri neceſſe erit, an in diuini officij recitandi ratione ſatis verſatus ſit.

In quæſtionibus proponendis Examinatores ordinem teneant: Atq; in examine illud omnino ſeruetur, vt is interroget, quem Archiepiſcopus, vel eius Vicarius generalis pro doctrinæ, & diſciplinæ genere iuſſerit, ne alter alterũ impediat, & interturbet.

Quæſtiones ita habeant inter ſe diſtributas Examinatores, vt inſtituti examinis partibus cumulatè ſatisfactũ ab ijs videri poſſit; & quo quiſq; de genere quæret, de eo vt dilucidè, & explicatè quærat, operam det.

Dum examen habetur, neq; inter ſe colloquantur, neq; mutuis ſe quæſtionibus prouocent; ſed ad reſponſiones illius, de cuius doctrina periculum fit, animum diligenter aduertant.

Vnuſquiſq; ex ordine, & pro genere propoſitæ quæſtionis interroget, neque alium opportunè, & ſuo tempore interrogantem vllo modo interpellet.

Quæſtiones non ore nimis tetrico, & ſeuero, ſed benignè, comiterq; proponant; vt quibus illæ proponuntur, ij confirmentur animis potius, quam frangantur: Atq;

Digitized by Google

eamdem comitatem in audiendis quoque reſponſionibus conſtanter retineant.

Si quid autem ab ijs perperam lectum, pronunciatum, reſponſumuè eſſe animaduerterint, niſi id examini ritè inſtituendo, abſoluendouè conduxerit, non ſtatim corrigant, aut monendo emendent, ſed eo peracto, quidquid opus eſſe cenſuerint, perhumaniter moneant.

In interrogationibus verò non ſcientiæ ſolùm ratio habeatur, ſed uis etiam ingenij iudicijq; ſpectetur.

IN OMNIVM examine hæc in primis quæratur.

Vitæ ſtatus, genus, patria, domicilium.

An diuinarum precationum ſtudio teneatur.

Quo potiſsimum genere meditationum ad vim diuini amoris concipiendam ſeipſum tacitus excitet.

Quam orandi rationem ſequatur.

Qui fructus, quæuè vtilitates ex oratione proficiſcantur.

Quot, quibusq; partibus conſtet.

Quomodo ſit ad orationem animus comparandus; aliaq; id genus multa, quæ vel perſonæ, de qua quæritur conditioni, vel ſuſcepti examinis inſtituto conuenire pius Examinator iudicabit.

His

His cognitis de doctrina, Eccleſiaſticarumq; rerum peritia periculum fiat; in quo vt Examinatores certi aliqd habeãt, quod ſequantur, ſacra Biblia, Catechiſmum Romanum, Concilium Tridentinum, Sacrorum Canonum decreta, & alias Pontificias conſtitutiones, Synodos deniq; tum Prouinciales, tum Diœceſanas in promptu habeant, ex ijsq; interrogationes petant, quibus quantum quisq; valeat, experiantur.

Si quis ita rudem, & imperitum ſeſe oſtẽderit, vt ne facillimis quidem interrogationibus ſatisfecerit, dimittatur, nec fruſtrà difficilioribus quæſtionibus torqueatur. Quòd etiam in ijs ſeruari poterit, quorum doctrina ſtatim ſic ſeſe prodiderit, vt pluribus eos interrogari neceſſe non ſit.

Verum, vt quæ ad examen vniuſcuiusq; eorum, qui ad ordines promouendi ſunt, pertinent, præſtò eſſe facilius queant, ea infrà generatim præſcribere viſum eſt; ſpeciatim tamen vel plura, vel pauciora quærentur, prout Examinatores, ac præſertim Archiepiſcopus, examinisq; Præfectus ſingulorum captui, & doctrinæ, necnon ordini, quem quiſq; petit, conuenire exiſtimabit.

Primum igitur, libro aliquo propoſito, videant Examinatores, vtrum qui examinatur, clarè, ſcienter, diſtinctèq; legat. Requi-

rãt præterea ſtructuram, ordinemq́; verborum; quo in genere ſiquid ille offenderit, non impediant quominus ſe ipſe retractare, & redire ad rectũ ordinem poſsit. Quærant deinde, quæ nam ſit ijs verbis ſubiecta ſententia, quam vt ille facilius eruat, quidquid legendum proponent, eiuſmodi eſſe debebit, vt ſenſu perfecto, atq; abſoluto claudatur; nihil, quod ex hiſtoriæ cognitione petendum ſit, habeat; ex ſe ipſo pendeat, neq; ex ſuperiori, aut inferiori capite, illius explicationem duci neceſſe ſit. Poſtremò in grauioribus etiam rebus illius eruditionis, & diſciplinæ periculum fiat.

Quicunq; vt primam tonſuram, aliosuè ordines ſumant, ad examen accedunt, ij omnes, & ſinguli diligẽter interrogentur, vtrũ vllo ex canonicis impedimentis, quæ Concilij Prouincialis Quarti Decreto de initiãdis, & ſuperius capite Quæ a Parochis, enumerata ſunt, obſtricti teneantur.

Quæratur item ex ſingulis quantum temporis præterierit ab eo, quo alium ordinem poſtremò acceperint; vt nemini, niſi interſtitijs ex Concilij Tridentini pręſcripto ſeruatis, ad vlteriores gradus aſcenſus pateat.

An vim, naturam, & myſteria ordinis, quem ſuſcepturi ſunt, nouerint.

An ritus, & cerimonias, quæ, cum initiantur,

tiantur, adhiberi ex libro Pontificali ſolitæ ſunt.

An ſanctiores illarum notiones.

An ſacrarum veſtium, quibus induūtur, myſteria, & ſignificata.

An ordinis, ad quem promouendi ſunt, functiones.

An earum vſum, & exercitationem, non in ijs modo, quæ ad litterarum, ſed in ijs etiam, quæ ad cantus peritiam pertinent: cuius rei periculum præſentibus viris canendi peritis faciendum erit.

Hactenus ea perſequuti ſumus, quæ ex omnibus, & ſingulis generatim ſciſcitari oporteat: Nunc ea ſubijciemus, quæ cuiuſq; ordinis propria ſunt: Quorum tamē interrogationes nō ita religiosè ſeruandæ erūt, quin, ſi ita videbitur, liceat interdum Examinatori, quæ inferioris ordinis ſunt, ab ijs quoque perquirere, qui ſuperiorem ordinem petunt.

EX INITIANDIS prima Tonſura quæratur. *De prima Tonſura.*

An Confirmationis Sacramentum ſuſceperint;

Quam ob cauſſam in clericalem militiam velint adſcribi; & vtrum vitandi ſęcularis iudicij gratia.

An ſint contentioſis litibus implicati.

An

An rixam, ſimultatemuè exerceant.

Quam artem nouerint, quodq; vitæ genus ſequuti hactenus fuerint.

An ſpes ſit eorum miniſterium vtilitatis aliquid Eccleſiæ allaturum.

Quo ſacerdote ſanctioris vitæ magiſtro vſi ad clericalis vitę rationem ſint inſtituti.

An rectè legant, pronuncient, ſcribant; & in ſingulis ſtatim periculum fiat.

An teneant Chriſtianæ Doctrinæ pręcepta, & inſtituta.

Quid ſit prima Tonſura.

Quid Clerici nomen ſignificet.

Quodnam ſit eius officium in Eccleſia.

Quid per Tonſuram, quæ ſit in ſuperiori capitis parte, ſignificetur.

Cur in coronæ ſpeciem clerici tondeantur.

Quid per ſuperpelliceum, quo clerici induuntur, declaretur.

Quæ noſſe vnumquemque Chriſtianum neceſſe ſit.

De minoribus ordinibus. PROMOVENDI ad minores ordines interrogentur.

Vtrum ſaltem rudimenta Grammatices, & linguam Latinam intelligant: Quod ita eſſe, tum iudicandum erit, cum Grammaticorum more ſeriem orationis retexere nouerint, ſententiamq́; ex ea perfectā elicere.

Vtrum

Vtrum eas in litteris progreſsiones videantur eſſe facturi, vt ad altiores gradus ſuo tempore poſsint aſcendere.

Vtrum fidei primordijs, Chriſtianæque Doctrinæ præceptis imbuti ſint.

Præcipuè verò, quot ſint articuli fidei.

Quot, & quæ ſint præcepta Decalogi.

Quot, & quæ præcepta Eccleſiæ.

Quot, & quæ eiuſdem Eccleſiæ ſacramenta.

Quot petitionibus oratio Dominica conſtet.

Quot, & quæ opera miſericordiæ, cum quæ ad corpus, tum quæ ad ſpiritum, atq; animum referuntur.

Quot, & quæ ſint peccata mortalia.

Quot, & quæ Virtutes Theologicæ; item quæ Cardinales.

Quot, & quæ dona Spiritus ſancti.

Quomodo ſit audienda Miſſa.

Quomodo ſe quiſq; ad Pœnitentiam, & Confeſsionis Sacramentum debeat præparare.

Quæ præparatio requiratur ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentũ dignè percipiendum.

Quid neceſſariò huius Sacramenti ſumptionem impediat.

Quid ſit Sacramentum ordinis.

Quo-

Quotuplex ſit Ordo.

Quæ ſit materia, forma, & miniſter huius Sacramenti.

An Sacramentum ordinis iterari queat.

Quando, & vbi imprimatur character, & an indelebilis ſit.

Qui nam ſit effectus Sacramenti ordinis.

An ſuſcipiens ordines, in peccato mortali recipiat ſaltem characterem.

Quot ſint Ordines minores.

Quare minores appellentur.

An in minoribus conſtitutus liberè ad ſęculum poſsit redire.

Sigillatim verò omnes, & ſinguli vnum aliquem ex minoribus ordinibus poſtulantes interrogentur.

Quodnam ſit vniuſcuiusq; minoris Ordinis officium.

Quanti referat, vtrum idem munus, exẽpli gratia, Oſtiarij, vel Lectoris in Eccleſia ab hoĩe laico, an ab ordinato exerceatur.

AB EXORCISTA quæratur potiſsimùm.

An ſtatim, poſt ſuſceptum ordinem exorciſtatus, liceat ſine alia facultate dæmones adiurare.

Quæ ſit vniuſcuiusq; minoris Ordinis materia, atq; forma.

An ritè ordinatus ſit, qui materiam, quã

Epi-

Epiſcopus tangendam præbet, non tangit.

An ſimulatè ad ordines ſuſcipiendos accedens, benè ſit ordinatus; itemq́; an ignorans quid faciat, ſuſcipiatuè.

An præpoſterè, & per ſaltum ad minores promotus debeat ordinem inferiorē omiſſum ſuſcipere.

CAETERVM cùm oporteat eos, qui Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotesq́; inſtituendi ſunt, quantò alijs dignitate ordinis pręſtant, tantò ijs omni virtutis genere antecellere, videndū ab Examinatoribus erit, an qui ſacrum aliquem ordinem petūt, maiorem etiam in ſpiritualis vitæ diſciplina progreſſum fecerint. *De maioribus ordinibus.*

An Breuiarium, an ſacra Biblia, an ſanctorum Patrum volumina, Concilium Tridentinum, & Prouincialia quoque, Synodos etiam Diœceſanas, Catechiſmum Romanum, Rationale diuinorum officiorum, & libros aliquos de rationibus ſpiritualis vitæ cōſcriptos ſui muneris vſui accommodatos habeant.

DE SVBDIACONIS in latinæ linguæ intelligentia periculum accuratiſsimè fiat: quęraturq́; ex ijs de minorū, maiorumq́; ordinum differentia. *De Subdiaconis.*

Præterea de ſacramentorum doctrina ſaltem in genere hæc:

Quid

Quid ſit Sacramentum.

Quot ſint genera Sacramentorum.

Quod ſit inter veteris, & nouæ legis Sacramenta diſcrimen.

Quot, & quæ ſint Sacramēta nouæ legis.

Cur neq; plura, neq; pauciora, quam ſeptem, à Chriſto inſtituta ſint.

Ex quibus vnumquodq; Sacramentum conſtet.

Quæ ſit vniuſcuiuſq; materia, & forma.

Vtrum aliquid addere, vel detrahere liceat formis Sacramentorum.

Quinam ſit effectus Sacramentorum nouæ legis.

Vnde ſuam vim, & efficaciam conſequuta ſint Sacramenta.

Quot, & quæ cauſſæ concurrant in Sacramentis.

An omnia Sacramenta ad ſalutem neceſſaria ſint.

Quomodo inter ſe differant Sacramenta nouæ legis.

An ad Sacramentorum perfectionem Miniſtri intentio neceſſariò requiratur.

Vtrum Miniſter letiferæ culpę obnoxius verè Sacramenta conficiat.

Vtrum in recipiente Sacramenta neceſſariò requiratur intentio illi ſuſcipiendi.

Quod attinet ad ordinis Sacramentum, quæ-

quæratur præcipuè;

Quid, & quotuplex ordo ſit.

Quæ materia, forma, & Miniſter huius Sacramenti.

Cur nonnulli ordines minores, nonnulli verò maiores appellentur.

Quid ſit inter eos diſcrimen.

Quæ ſit ordinis Subdiaconatus materia.

An ordinem in peccato mortali recipiēs verè, & ritè ſit ordinatus.

An per ſaltum, & præpoſterè ordinatus verè ſuſcipiat ordinem.

An qui ita ſit ordinatus, ſuſceptiq; ordinis functiones exerceat, vlli cenſuræ obnoxius ſit.

Quodnam ſit officium Subdiaconi.

Quare in Miſſa legantur Epiſtolæ Diui Pauli.

An Subdiaconus lętali peccato obſtrictus miniſtrans mortaliter peccet.

Interrogetur etiam Subdiaconus de voto continentiæ, quod eſt cum ordine Subdiaconatus coniunctum.

Quæ eius vis, & efficacia.

Quomodo violetur.

Item de Horis Canonicis.

Quid, & quot ſint Horæ Canonicæ.

A quo, & quam ob cauſſam fuerint inſtitutæ.

Quo

Quo tempore recitandæ.

An peccet, qui ſine iuſta cauſſa Canonicas Horas debitis horis non recitat, ſed uel citius, vel ſerius, quam par ſit.

An ordo Horarũ Canonic. ſit in pcepto.

Quę animi attentio requiratur in officio recitando, vt ſatisfiat præcepto.

Quibus de cauſsis liceat diuini officij recitationem omittere.

An ex rigore præcepti quibus permiſſum eſt officij recitationem omittere, ij aliquid aliud recitare eius loco teneantur.

An præceptum impleat, qui diuinum officium, vel nõ recitat iuxtà ritum Eccleſiæ, in qua eſt, vel aliqua ex parte, aut penitus mutat.

An vno, eodemq; tempore præcepto de recitando officio, & de audienda Miſſa diebus feſtis Subdiaconus ſatisfacere poſsit.

An tot quis peccatis ſeſe obſtringat, quot horas eodem die omittit.

An qui quoquo modo recitationem officij interrumpit, partem iam recitatam repetere debeat.

De Diaconis. EX DIACONIS diligentius aliquantò de Sacramentorum doctrina quætur.

De Præceptis Decalogi, & in quot tabulas diſtributa ſint.

Quid

Quid eorum vnoquoque vel præcipiatur, vel prohibeatur.

De Præcationis dominicæ petitionibus, earumq; explicatione.

De theologicis, cardinalibusq; Virtutibus.

Nonnihil etiam de Cenſuris Eccleſiaſticis, præcipuè vero quot, & quæ ſint.

Quod nã ſit Diaconi officiũ in Eccleſia.

Quid ſignificet Euangelium, & cur publicè in Eccleſia recitetur.

Quæ ſit materia, quæuè forma Ordinis Diaconatus.

Vtrum Euchariſtiam tangere Diaconus poſsit;

Vtrum eam interdum miniſtrare.

An ei ſollemni ritu liceat baptizare.

An publicè ſine ſacris veſtibus Diaconi proprijs Euangelium cantãdo, in aliquam cenſuram incurrat.

An munus ſuum in mortali peccato exercens mortaliter peccet.

Periculum etiam aliquod de eo fiat in cõcionibus habendis, iuxtà rationem Concionatorum examini Concilio Prouinciali V. præſcriptã; atq; de his in primis quæratur.

De doctrina Articulorum fidei.

De dogmatibus Tridentino Cõcilio explicatis.

Digitized by Google

De Canone Sacræ Scripturæ, deq; libris Canonicis.

De peccato Originali.

De Iuſtificatione.

De Sacramentis.

Generatim etiam, de ſacrificio Miſſæ.

De Purgatorio.

De Inuocatione, & Veneratione Sanctorum.

De ſacris Reliquijs, imaginibusq; Sanctorum.

De Indulgentijs.

De poteſtate, & auctoritate ſummi Pont.

De Ieiunio.

De diebus Feſtis, & alijs huius generis rebus.

De ſenſibus Sacræ Scripturæ, litterali nempe, & myſtico.

De locis Theologicis.

De Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis traditionibus.

De concipiendæ, explicandæq; concionis modo.

De ſacerdotibus.

AB IIS, qui ſacerdotes inſtituendi ſunt, hæc ſygillatim, ſtudioſè petantur.

An piè, & fideliter ſuſceptorum ordinũ miniſteria tractauerint.

Vtrum

Vtrum pietatem, morumq; caſtitatem coluerint.

Vtrum bonorum operum, totiusq; vitæ documenta ab ijs ſperari poſsint.

Quoniam verò Concilio Tridentino decretum eſt, vt qui ſacerdotio volunt initiari, ij, præter cętera, idonei ſint ad populum rebus ad ſalutem neceſſarijs inſtituendum, atq; ad Sacramenta miniſtranda; idcircò de ijs, & pręſertim de ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, & de Miſſa interrogentur. *Seſſ. 23. c. 14.*

Quid ſit Euchariſtiæ Sacramentum.

Quæ requirantur ad illud ritè conficiendum.

Qualis debeat eſſe vtraq; materia Euchariſtiæ.

An ſacerdos conſecrans in fermentato conficiat Sacramentum.

An poſsit ſacerdos cōſecrare quamlibet materiæ quantitatem.

Qualis præſentia materiæ neceſſaria ſit, vt poſsit conſecrare.

An, ſi panis, & vinum corrumpi cœperint, conſecrari poſsint.

An deficiente vino, panis tantummodò conſecrari poſsit.

Vtrum neceſſariò aqua vino ſit admiſcēda: & quid, ſi omittatur.

Vtrum, ſi quis alius liquor vino conſe-

crato admiſceatur, corpus Chriſti ibi eſſe deſinat.

Quę ſit forma Conſecrationis cùm Panis, tùm Vini.

An, ſi verbum aliquod vel dematur, vel mutetur, vel transferatur, conſtet nihilominus conſecratio.

An poſsit ſacerdos, per ſola verba conſecrationis, omiſsis alijs verbis Canonis, conſecrare.

An vtriq; formæ inſit propria virtus, ſeu potius hæc illam exſpectet.

Quæ ſit vis, & efficacia verborum conſecrationis.

An tota ſubſtantia Panis, & Vini tranſubſtantietur; ſeu poſt conſecrationem aliqua pars eorum remaneat.

Quomodo poſt Conſecrationem remaneant accidentia Panis, & Vini.

A quo ſubſtententur.

Quid virtute verborum Conſecrationis, ſub vtraq; ſpecie contineatur.

An ſub ſpeciebus Panis contineatur etiã ſanguis; & contrà.

An ſub ſpeciebus Vini cõtineatur etiam corpus, & quomodo.

An totus Chriſtus ſit in qualibet parte Hoſtię conſecratæ, tam ante, quàm poſt fractionem.

Quæ

Digitized by Google

Quę intentio requiratur ex parte ſacerdotis ad ritè conſecrandum.

An tantum virtualis intentio ſatis ſit, & quænam hæc ſit.

An, ſi ſacerdotis conſilium ſit tantummodo decem hoſtias conſecrare, poſtea verò plures inuentæ ſint, omnes ſint conſecratæ.

Quid agere ſacerdotem oporteat, ſi forte accedat, vt hoſtijs conſecratis aliquot aliæ minimè conſecratæ admiſceantur, quæ internoſci non poſsint.

An ſacerdos excommunicatus, vel de gradu deiectus celebrans verè ſacramentũ conficiat.

Qui nam ſint effectus ſacramenti Euchariſtiæ.

Quoties in anno teneatur ſacerdos celebrare peccati mortalis pœna propoſita.

Vtrum beneficium ea conditione inſtitutum, vt quis quotidie celebret, quotidie celebrandi neceſsitatẽ ſacerdoti imponat.

Quas horas neceſſariò recitare ſacerdos teneatur, antequam celebret.

Quæ nam ad dignè celebrandum requirantur in ſacerdote.

An ſacerdos conſcientia letiferæ culpæ obſtrictus poſsit, antequam per confeſsionem ſe expiet, celebrare; & vtrum celebrando peccet.

An caſus vlli ſint, in quibus etiam confeſsione minimè præcedente celebrare, vel communionem ſumere liceat.

Quid conſilij capiendum ſit ſacerdoti, qui, Miſſa iam inchoata, ſe vel in peccato mortali, vel excommunicatum, vel non eſſe ieiunum meminerit.

Quæri etiam ex ijſdem poterit de varijs defectibus, qui cùm ex parte materiæ, & formæ, tùm ex parte miniſtri contingere poſſunt in Miſſa; quauè ratione illis ſit occurrendum.

Verum cum peculiare hoc habeat Eucha riſtia, vt non modo ſit ſacramentum, ſed etiam ſacrificium nouæ legis, quæratur.

Quid ſit ſacrificium Miſſæ.

In quo nam conſiſtat ratio ſacrificij.

Quid in hoc ſacrificio Deo omnipotentī offeratur.

Qui nam huius ſacrificij effectus.

Cur quotidie tot in locis Eccleſia velit offerri.

Vbi, & quādo illud fieri minimè liceat,

Pro qnibus offerendum ſit, quibuſque proſit.

Quis Miſſæ inſtitutor, & auctor fuerit.

quæ nam ſint eius partes.

Quæ myſteria in toto Miſſæ ſacrificio inſint.

Quid

Digitized by Google

Quid præcipuè in ſacro Canone fiat.

Quæ ſint ſacrarum veſtiũ ſignificationes.

Quæ nam in eo ſacrificio offerendo ex inſtituto Eccleſiæ requirantur.

An in Miſſa liceat orare pro peccatoribus excommunicatis.

An pro hæreticis.

An Miſſa boni ſacerdotis plus proſit, quàm mali.

An Miſſa vna pro pluribus celebrata, tantum vnicuiq; proſit, quantum ſi pro ſingulis ſingulæ celebrarentur.

Interrogari etiam poterunt;

An vllam ſacræ confeſsionis peritiam habeant.

De ſacramenti Pœnitentiæ neceſsitate.

Quamobrem, & à quo nam inſtitutum ſit huiuſmodi ſacramentum.

Quæ ſit huius ſacramenti materia, quæ forma, qui effectus.

Qui ſit eius Miniſter, & quæ conditiones in eo requirantur.

Quæ ſint Pœnitentiæ partes, & quæ ratio ſingularum.

Quid ſit contritio.

Quæ ad veram contritionem ſint neceſſaria.

Quomodo ſe quiſque ad contritionem exercere poſsit.

Digitized by Google

Quæ ſint veræ contritionis ſigna.

Quibus regulis mortale peccatum dignoſcatur a veniali.

De confeſsione, quæ eſt pars altera Pœnitentiæ hæc petantur.

Quæ ſit natura, & ſubſtantia eius.

Quas conditiones neceſſariò poſtulet.

Quæ peccatorum circumſtantiæ neceſſariò explicandæ.

Quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ.

Quot, & quæ ſint cenſuræ.

Quibus caſibus irregularitatis macula contrahatur.

Qui ritus, & ſacræ cęrimoniæ confeſſionis.

Qui ordo confitendi.

Quando quis ſtatim confiteri debeat; & quando confeſsionem repetere.

De ſatisfactione verò, quæ eſt eiuſdem pœnitentiæ tertia pars, hæc potiſsimùm quærenda videntur.

Quæ ſint ſatisfactionis partes, qui finis, qui fructus.

Quale, quantumq; eſſe debeat id, quod pœnitentiæ nomine confitenti imponendum eſt.

Quæ ſint opera ſatisfactoria.

Qua verborum formula abſolutio contineatur.

Quæ

Digitized by Google

Quæ præcationes adhibeantur.

Quis ordo ſeruandus in abſoluẽdo cùm a peccatis, tùm ab excommunicatione.

De ſigillo item confeſsionis, & quæ nam ſub illud cadant.

Quæ, & quanta ſit eius vis.

Quæ peccata reſtitutionem poſtulent, & quæ reſtitutionis radices.

Ad alia verò ſacramenta, quod attinet, generatim Examinatores perquirant;

Quæ ſit eorum uis, & natura.

Quæ vniuſcuiuſq; materia, & quæ forma.

Quæ eorũ cauſſa efficiens, & principalis.

Quæ cauſſa inſtrumentalis, & finalis.

Quæ eorum differentia.

Qui effectus, & fructus.

Qui eorum ritus, & cærimoniæ.

Vtrum ſciant quibus impedimentis interdictum ſit, ne quis, aut miniſtret, aut ſuſcipiat ſacramenta.

Experiantur vtrum ad ſenſus non modo Grammaticorum more, ſed etiam ſanctiores, & myſticos percipiendos idonei ſint.

Vtrum conciones, ſermonesuè contexere, vel habere didicerint.

Vtrum in eo genere aliquid ex tempore poſsint, periculum faciant.

Sciſcitentur etiam vtrum in Conſtitutionum, Conciliorum, Synodorumq; hu-

ius

ius Mediolanenſis Eccleſiæ cognitione inſtructi, verſatiq; ſint.

Poſtremò deniq; cùm ex omnibus initiādis, vt paullo ante declaratum eſt, ea quærant, quæ ad vitam ſanctius, & religioſius inſtituendam pertinent, tùm verò ex ijs, qui ſacerdotes creari volunt, præter cętera, illa quoq; diligenter explorent, quæ de ratione orandi, de ſanctarum meditationum ſtudio, deq; cæleſtium contemplationum exercitatione, & vſu pij, religioſiq; Viri commendata litteris tradiderunt.

Quæ ab Ordinandis præſtanda ſint.

QVibus vnum aliquod ex canonicis impedimentis obſtiterit, ij ſciant nullum ſibi ad ſacros ordines ſuſcipiendos aditum fore. Quamobrem quiſquis ita ſe, vel omnibus inſcijs, impeditum ſenſerit, rem ad Archiepiſcopum deferat, antequam temerè ad ſacræ ordinationis myſteria accedere audeat.

Quoniam verò, & huius ſacramenti dignitas ſumma eſt, & ordinibus initiari præclarum quid, ac propè diuinum, quicunq; clericalem viuendi rationem inſtituere volunt, priuſquam ad eos ſuſcipiendos accedant, pijs ſeſe meditationibus aliquandiu

exer-

Digitized by Google

exercebunt, totosq; ſe Deo tradent, non eo quidem animo, vt ſibi, ſuisuè præſidij aliquid ad vitam degendam commodius parent, ſed vt Deo, illiusq; Eccleſiæ, mentibus alia quacunq; cura liberis, & ſolutis, aſsiduè ſeruiant.

Ad primam clericalem Tonſuram, mino resuè ordines promoueri cupientes, menſe ante ſtatam ordinationis diem ab Archiepi ſcopo promulgatam ſeſe coram eodem Archiepiſcopo ſiſtant, & ſua, parentumq; ſuorum nomina, tum patriæ, & Parochialis Eccleſiæ, in cuius vicinia nati ſunt, atq; habitant, ſigillatim deſcripta afferant: Qui verò ſacris ordinibus adſcribendi ſunt, beneficium eccleſiaſticum, penſionem, aut patrimonium, ad cuius titulum ordinandi ſunt, ſingula diligenter notata Archiepiſcopali Cancellario tradant.

Omnes illud ſedulò curent, vt quàm paratiſsimi ad examen accedant, earumq; rerum notitia inſtructiſsimi, quas vnicuiq; or dini neceſſarias ex ſacris Concilijs, & Conſtitutionibus noſſe debuerint.

Ab vnoquoq; petentur ea, quæ ad ordinem, quo ille initiandus eſt, pertinebunt: Præcipuè verò quærentur, quæ Catechiſmo Romano traduntur.

Qui doctrinæ Chriſtianæ præcepta, &

rectè

rectè legendi, ſcribendiq́; rationem non nouerit, huic prima Tonſura deferenda non erit.

Ad minores ordines nõ promouebitur, niſi qui latinam linguam didicerit.

A minoribus verò excludetur, qui ſpem non afferet fore ſe aliquando dignum Eccleſiæ ſanctæ Miniſtrum.

Pro functionibus, quæ cuique obeundæ erunt, vtrum cantus, quem firmum vocant, peritiam habeant, periculum fiet; ab ijs verò, qui iam beneficium obtinebunt, aut ſacrum aliquem ordinem ſuſcepturi erunt, quam diuini officij recitandi rationem teneant, diligenter quæretur.

Quiſq́; demum quæſtiones, quæ, cum de Examinatorum officio ageremus, commemoratæ ſunt, ita accuratè videat, & præ manibus habeat, vt cum examini ſeſe ſubijcere opus fuerit, optimè paratus, atq; inſtructus prodijſſe in hanc aciem videatur.

Antequam examinis periculum ſubituri in Examinatorum conſpectum veniant, ſcriptas litteras ætatis, natalium, aut diſpenſationis conceſſæ, beneficij eccleſiaſtici, vel penſionis, patrimoniiuè recognoſcendas, & approbandas Archiepiſcopo ſinguli reddant.

Ad examen non admittentur, niſi qui decen-

Digitized by Google

centi clericali veſtitu, capilloq; in coronæ formã cuiusq; ſtatui, atq; ordini congruentem abraſo, examinandos ſe coram Examinatoribus ſiſtent.

Illi pariter excludentur, qui quoſcunq; ordines ſuſcepturi ad examen congruo tempore non acceſſerint.

Qui primæ clericali Tonſuræ, minoribusq; ordinibus adſcribendi erunt, feria quarta, qui verò maioribus, feria ſexta ordinationis diem proximè præcedente ad Archiepiſcopum omnes conueniant, eique de ſe quiſq; litteris legitimè teſtata faciat, quæ infrà ordine deſcribuntur.

Primo ſe ex legitimis nuptiis natum eſſe, aut propter impedimentum natalium ſecum ſuper eo ordine, ad quem promouendus eſt, diſpenſatum fuiſſe.

Deinde ſe eſſe Diœceſanum, vel origine, vel eccleſiaſtico beneficio etiam ſimplici, quod in Mediolan. Diœceſi in titulum obtineat, vel decennali domicilio, vel alia aliqua ratione; aut certè familiarem Archiepiſcopi, in cuius domo per tres ſaltem annos fuerit.

Regulares verò ſe ex familia eſſe Monaſterii, intrà eiuſdem Diœceſis fines exiſtentis teſtentur.

A Parocho prætereà, vel ſi Collegii alicuius,

cuius, aut ſeminarii alumnus ſit, ab illius Rectore litteras afferat, quæ mores, & ſuæ vitæ diſciplinam teſtatam faciant. Atq; his aliæ quoq; accedant eiuſdem generis, vel a Præfecto omnium ſcholarũ doctrinæ chriſtianæ, vel ab eo, qui in parochiali vicinia ſua conſtitutus eſt; quibus ſe in eiſdẽ ſcholis frequentem fuiſſe appareat.

Ab eo, qui primam Tonſuram ſuſcipere volet, hæc quoque erunt teſtata litteris afferenda.

Se ſacro chriſmate confirmatum eſſe,

A Superiore, vel Præfecto Eccleſiæ cui inſeruit. Eccleſiam religioſius frequentaſſe;

A moderatore ei per Archiepm tradito. Sperari ſe in clericalis ordinis diſciplina firmum, & conſtantem futurum: Quod teſtimonium afferẽdum erit, vel a Parocho ipſo, vel ab eo, cuius fidei commẽdatus eſt ab Archiepiſcopo, cum primum de illius ſuſcipiendi ordinis conſilio, & voluntate cognouit.

A proprio Confeſſario. Semel ſaltem ſingulis menſibus confeſſionis ſacramentum obiuiſſe; atq; in hac teſtificatione tempus, quo quiſq; confiteri ſolitus eſt, oportebit eſſe expreſſum.

Toties ſanctiſsimam Euchariſtiam ſumpſiſſe.

At verò, qui minores maioresuè ordines ſuſcepturus eſt, præter ea, quæ ſuprà enumerauimus, hæc etiam, quæ ſequuntur,

tur,

Digitized by Google

tur, confirmata teſtimoniis afferat.

Primæ tonſuræ, vel Ordinis, ad quē proximè promotus eſt, ſuſceptionem. A Cancellario.

Eiuſdem ordinis functiones a ſe præſtitas; cuius rei teſtificationem a Præfecto Ecclefiæ, cuius miniſterio adſcriptus eſt, fieri opus erit, in eaq; ſpeciatim exprimi, quæ genera functionum, quandiu, quamq; decenter, & religiosè obiuerit. A ſuperiore, ſeu Præfecto Eccleſiæ cui ab Archiepō fuerit aſcriptus.

Clericalem habitum poſt ordinem proximè ſuſceptum ex Prouincialium, Diœceſanarumq; Conciliorum præſcripto a ſe ſemper geſtatum; quod Parochi litteris declarandum erit. A Parocho.

Confeſsionem frequentius repetitã iuxtà Prouincialium Decretorum præſcriptionem; hoc eſt ſemel ſaltem vnoquoq; menſe; quod probati alicuius, & ad Clericorũ confeſsiones audiendas admiſsi ſacerdotis litteris teſtatum eſſe par fuerit; quibus litteris adſcribi etiam tempus neceſſe erit, ex quo confeſsiones illorum audire cæperit. A Confeſſario.

Sanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum ſemel ſaltem, vel crebrius in menſe ſuſceptum, quemadmodum Cōciliis Prouincialibus iuſtum eſt; Id verò teſtificetur, vel Parochus, vel Præfectus Eccleſiæ, in quam eſt adſcriptus, vel quiuis alius ſacerdos, qui iuſſu Archiepiſcopi miniſtrauerit. A Parocho, vel a Præfecto Eccleſ. ei adſcriptę, vel ab alio Sacerdote ab Archiepō deputato.

A Sub-

A Subdiaconis,& Diaconis, ad vlteriores ordines prouehendis,de ſacra Communione a ſe dominicis omnibus,& feſtis diebus, aut ſaltem bis ſingulis menſibus ſumpta teſtimonium afferatur.

A Parochis. Ab his uerò,qui primam Tonſuram, aut aliquem ſacrum ordinem ſuſcepturi ſunt, de enunciationibus ex præſcripta formula de ſe publicè die feſto inter Miſſarum ſollemnia habitis in Eccleſia Metropolitana, in propria Parochiali, & in ea etiam,in cuius finibus poſtremò domicilium habuerũt. In qua quidem Metropolitana Eccleſia de

A Præfecto chori. Ambone enuncientur nomina Ordinãdorum ab vno ex Notarijs chori poſt recitatum Euangelium Miſſæ ſollemnis. Enunciationis autem huiuſmodi teſtimonium a R. Chori Præfecto fiat.

A Præfectis in ciu. A Vicarijs foraneis ĩ Diœceſi. Ab iiſdem etiam litteræ afferantur, quibus probetur non modo ſe frequenter ad menſuales congregationes conueniſſe; ſed in vniuerſo ſacerdotum ſingulorum cætu commendatos fuiſſe.

Ad ſacrum ordinem promouendus,præter cætera, hæc quoque teſtata faciat.

Seſſ. 23. c. 12. Aetatem ex Concilii Tridentini præſcripto: annum.ſ.vigeſimum ſecundum, ſi Subdiaconatum,vigeſimum tertium,ſi Diaconatum, vigeſimum quintum, ſi Presbyteratum

tum

tum ſuſcepturus eſt, attigiſſe.

Cenſum præterea, vel Eccleſiaſticum, vel Laicalem, cuius poſſeſsionem certam, nec vllo modo litigioſam eſſe manifeſtum ſit: quem cenſum quinquaginta ſaltem ſcutatorum aureorum ſummam in ſingulos annos explere oportere declaratum eſt; tantum enim ad vitam decenter degendam ſatis eſſe creditur.

Quod ſi quis Ordinandus Archiepiſcopum in probando cenſu dolo malo deceperit, ſciat hic ſe ſtatim re ipſa ſuſpenſionem incurriſſe. C. Nemi- nem &c. Sãctorum diſt. 70.

Oſtendat deniq; hunc ipſum cenſum publicè die feſto inter Miſſarũ ſollemnia fuiſſe denunciatum non ſolum in Metropolitana Eccleſia, in propria Parochiali, & in illa, in cuius vicinia poſtremò domicilium habuit; ſed in Parochiali etiam, cuius finibus maior cenſus pars, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue alterius generis continetur. *Conc. prouin. 4.* A Præfecto Metropolitan. A Parocho.

Sed vt quicunq; Subdiaconus, aut Sacerdos creãdus eſt, intelligere planius poſsit, quam vitæ rationem ſibi ineundam proponat, in Canonicę ſeminario ſpirituales exercitationes obibit, in eum omnino modum, qui paulò infrà deſcribitur. Atq; his peractis litteras ab exercitationum Moderatore debebit afferre, quibus oſtendatur ſe *Prou. 4.* A Præfecto ſpir. exercit.

Digitized by Google

cum fructu, & pietatis acceſsione in tam pijs ædibus fuiſſe verſatum.

De ſpiritualibus exercitationibus; ad quem illæ finem inſtitutæ, quo in loco, & à quibus obeundæ ſint.

IS eſt ſpiritualium exercitationum inſtitutioni, atq; vſui finis propoſitus, vt, quicunq; eas ſuſceperint, diuini luminis ope adiuti non modo a culpis leuioribus abſtinendum; ſed virtutem etiam ipſam, & ea, quæ ſunt cum virtute cõiuncta, ſumma animi contentione, & ſtudio ſibi eſſe omninò ſectanda exiſtiment: Ita tamen, vt ſuſcepti conſilij ratio conformandis moribus, omnibusq; chriſtianis virtutibus exercendis cuiusq; cõditioni re ipſa reſpondeat. Quod quoniam fieri multò facilius poteſt, ſi locorum celebritatem homines fugientes in ſolitudinem aliquam ſeſe recipiant, quo vel planè nullus, vel certè minimus humanarũ rerum cogitationibus aditus pateat; idcirco Mediolani ad huius maximè ſalutaris exercitationis vſum in remotiori Vrbis parte, in hortis Eccleſiæ, quæ vulgari appellatione Canonica dicitur, ædes rudi illæ quidem, & minimè ſpecioſo, ſed rei propoſitæ in primis accõmodato opere excitatæ ſunt; qua-

Digitized by Google

quarum formam vtcumq; deſcriptam ſubij cere inſtituto alienum fortaſſe non fuerit.

Superior huius ædificij pars duobus hinc inde perpetuis ordinibus æqualium cubiculorum ad quadraginta diſtinguitur, ad eorum planè ſimilitudinem, quæ in Cœnobijs Capucinorum cernũtur. Hæc ita anguſta ſunt, vt præter lectulum, menſulam, & ſcabellum ad ſacras precationes flexis genibus obeundas comparatum, capere vix quidquam aliud poſsint. Propè eſt Oratorium, quo ad ſtatas horarias preces recitandas, ad ea, quæ ad meditandum proponuntur capita accipienda, ad id denique, quod quiſq; ſecum meditatus fuerit, repetẽdum, & cum alijs mutuò communicandum frequentes conueniunt: cum tamen haud quaquam longè abſit Eccleſia, vbi quotidie ſacerdotem rem diuinam faciẽtem audire ſolent. In inferiori autem parte promptuarium, culina, triclinium viſitur, & ſi quæ ſunt huius generis ad varios neceſſariarum rerum vſus extructæ cellæ.

Huc igitur ſe includunt, animumq́; pijs exercitationibus excolunt, triginta, vel pluribus, paucioribusuè, ſi Archiepiſcopo viſum fuerit, ante ſacram Ordinationem diebus, quicunq; ſacris Subdiaconatus, & Preſ byteratus ordinibus adſcribendi ſunt: De-

inde, qui ſuſcepto habitu clericali, atq; in ſeminarium, ſiue collegium aliquod coopta ti in ea tum primum loca ingrediuntur: Prę tereà ſeminariorum omnium, & collegiorum Alumni quotannis, cum poſt vacationes intermiſſa litterarum ſtudia repetunt: Omnes deniq; Eccleſiaſtici ordinis viri, qui pietatis deſiderio excitati ad ſpirituales progreſsiones inflammare ſeipſos ardẽtius volunt: Quod tametſi pro ſuo cuiq; religionis ſtudio quouis anni tempore liberum, atque integrum ſit; dominici tamen aduentus, & ſollẽnis Quadragenarij ieiunij dies id ſibi iure ſuo videntur quodammodo vindicare.

Ita verò vtiliter cùm diurnum, tùm nocturnum tempus tranſigitur, nulla vt eius pars abire ſine fructu ſinatur; nam præter illas horas, quæ ſomno, ciboq; capiendo neceſſariò tribuuntur, quæ octo omnino ſunt, reliquæ omnes adeò fructuosè ponuntur, vt vel agendo aliquid, vel meditandoq;, vel de rebus ſpiritualibus colloquendo, vel legendo deniq;, aut ſcribendo abſumantur.

Ad has autem ſalutares exercitationes ritè obeundas duo, in primis adiumenta requiruntur: Quorum quidem alterum eſt, frequenti diuinarum rerum meditatione ſeſe ad humanarum deſpicientiam excitare; Al-

terum

Digitized by Google

terum conſcientiam ſuam excutere, atque a ſemetipſo ſuarum omnium actionum rationem repoſcere.

Ad orationem vnoquoque die quater acceditur; ſingulisq; meditationibus horæ ſingulæ ab omnibus tribuuntur: niſi qui infirma adeò valetudine ſint, aut animo ita affecti, vt detrahi aliquid de præſcripto tẽporis ſpatio neceſſe ſit.

Conſcientia ſemel in die excutitur, idq; veſperi, cum cubitum eumdum eſt.

Primis ſeptem diebus, cum veriſimile ſit vnumquẽq; noſſe, oportere ſe ex ſuperiori malè acta vita dolorem capere, de ea rectius in poſterum inſtituenda cogitare, generali, ſi opus ſit, peccatorum omnium confeſsione ſeſe expiare, vitiorum etiam leuiorum fibras euellere, turbidosq; animi motus componere; hæc, quæ infrà deſcripta ſunt, ad meditandum proponi capita poterunt.

Primum quem ad finem a Deo homo conditus ſit, quæque ad illum conſequendum adiumenta ab eiuſdem benignitate acceperit; ea autem ſunt in recto creatarum rerum vſu conſtituta.

Deinde quãta ſit peccati grauitas, & deformitas, quantaq; animi cura fugiendum ſit; cum eo vno a propoſito fine longiſsi-

mè aberretur.

Addentur prætereà quattuor illa, quæ iam communi vocabulo nouiſsima nominantur; nimirum Mors, Extremum Iudiciũ, æternæ Beatitudinis præmia, cruciatus apud inferos ſempiterni; quarum rerum aſſidua cogitatione cum a vitijs reuocamur, tùm ad virtutem acrius incitamur. Atque ex his ſummis capitibus, tamquam ex fontibus, omnes totius hebdomadæ meditationum riuuli deducuntur; quibus anima irrigata ſibi cæterisq; iucundos fructus, atque vtiles edit.

Verum quoniam incępiſſe parum omninò prodeſſet, niſi etiam maioribus, & melioribus ſemper incrementis procederetur; ideò alterius hebdomadæ meditationes habebuntur de ijs, quæ in Patris Ignatij exercitationum libello traduntur.

Primò de Regno Chriſti; vt Chriſtus ſuæ gratiæ dono regnet in nobis; peccatumque Cacodæmonem, & mundum, quam fieri longiſsimè poſsit, expellat, & abigat.

Secundò de duobus vexillis; vt Domini militiæ adſcripti humani generis hoſtis inſidijs fortiſsimè reſiſtamus; deque eo, inſanisq; animi noſtri cupiditatibus, victoria parta, glorioſiſsimè triumphemus.

Tertiò de tribus claſsibus; vt ab omniũ hu-

humanarum rerum amore auulſi, voluntatem noſtram ad diuinam in omnibus referamus, ipſiq; Deo charitatis vinculo perpetuò coniungamur.

Quartò de tribus humilitatis Chriſtianæ gradibus; vt peccatum morte ipſa grauius deteſtemur; atq; ad Chriſti imitationem, quam proximè accedamus.

Quintò de eo vitæ genere deligendo, quod gratius Deo fore probabile videatur; vel de ijs ſubſidijs comparandis, quæ ad iam ſuſceptam vitæ rationem conducere plurimum iudicentur.

Sextò ad cuiusq; conditionem accommodata meditationum capita proponentur; vt eum fructum ſinguli capiant, quem ab huiuſmodi exercitationibus exſpectari par eſt.

Verum vt ad labores propter Dei gloriam ſubeundos alacrius incitentur, danda opera erit, ſi ratio temporis patiatur, vt in Chriſti myſteriorum contemplatione ab Incarnatione ad dominicam vſque Cœnam verſentur.

Tertia autem, & quarta Hebdomada, in quibus ad charitatis perfectionẽ mens tota debet eſſe conuerſa, quæcunq; a Cœna vſq; ad Pentecoſtem Chriſti myſteria ſunt, ea omnia piè, & religiosè excutient; ani-

Digitized by Google

mæq; talem charitatis ardorem inijcient; vt per eum Deo propius, atque arctius coniungatur.

Iam uerò, ut intelligatur quibus rebus inſtructum ad tam ſalutaris exercitationis ſtudium accedere quemq; oporteat, illud in primis ſciendum eſt, debere eo ipſo die, quo initium fiet, adeſſe, ſecumq; Breuiarium una cum Calendario ferre, unum aliquem ad excitandam lectione pietatem ſpiritualis argumenti libellum, pugillares, & chartam; nec cuiquā licere è loco, ubi exercitationes habentur, ante præfinitum tempus abire, niſi Archiepiſc. uel eius Vicarius abeundi facultatē ſcripto conceſſerit.

Ab externorum hominum collocutionibus prorſus abſtineant; atque inter ſe tunc tantummodo colloquantur, cum uel de rebus ſpiritualibus agunt, uel tempus eſt animorum relaxationi præſcriptam; uocem autem, aut riſum immodeſtè minimè tollant, neque iocentur liberius; alias ubique ſilentium ſeruent.

Cubiculorum oſtia nunquam claudant, niſi quo tempore cubitum proficiſcuntur.

In aliorum cubiculis pedem quauis hora non ponant; qui ſecus fecerit, publicè ſeipſum in cœnaculo flagellis cædere iubeatur.

Eadem

Eadem omnes hora cubitum eant, de lecto ſurgant, precationibus vacent, alia omnia huius generis obeant; nec cuiquam, niſi exercitationum Præfectus poteſtatem fecerit, vel minimum quid a præſcripta ratione recedere liceat.

Feneſtris clauſis, & nuſquam admiſſo lumine ſacræ Meditationi ſe tradant.

In lecto, antequam totos ſomno ſe dedant, qua hora ſurrecturi, quæuè capita in ſequentem diem ad meditandum propoſita ſint, aliquantulum cogitent.

Mane, vbi ſomno fuerint excitati, argumentum meditationis cauſſa propoſitum animo diligentiſsimè verſent; eamdemq; rem inter veſtiēdum excogitatione accommodati alicuius exempli vrgeant.

Orandi initium ante non faciant, quàm Chriſtum ſibi ſuarum omnium actionū ſpectatorem proponant; quem, etiam non capitis inclinatione minus, quam animi demiſsione venerentur.

Qua parte meditationis commoueri ſe magis, atque affici ſenſerint, eam potiſsimùm tractent, nec intermittant, donec animus acquieſcere videatur: de cęteris non valde laborent, ſiquidem opportuniore tempore in eorum quoque contemplatione verſari poterunt.

Ad

Ad ea, quæ meditati fuerint, vtcunque examinanda ſemihoræ ſpatium tribuant ſi quid negligenter factum repererint, negligentiæ cauſſas inquirant, &, quo ad eius fieri poteſt, in poſterum amputent: ſi quid contra vtiliter, id totum diuinæ bonitati acceptum referant, ipſiq; Deo quantas maximas poſſunt eo nomine gratias agant.

Dolorem ex contractis culpis capientes, cùm ab ijs, tùm ab alijs ſibi diligentiſſimè caueant; pœnamq; aliquam, ſi ita ſpirituali Patri videbitur, extrinſecus ſibi vltrò imponant.

Quo tempore communicant inter ſeſe, præteritæ meditationis capita repetant, & ſalutaris alicuius libelli lectionem adhibeant; deinde quidquid inter legendum animaduerterint, proferant.

Veſperi, priuſquam cubitum proficiſcantur, conſcientiam accuratè excutient, & vtrum quid inter meditãdum peccauerint, explorent.

Singulis diebus, ſi ita exercitationum Præfectus cenſuerit, hæc ipſa decreta legantur, vt & firmius memoria teneantur, & plenius etiam obſeruentur.

Cæterum huiuſmodi exercitationibus eum præeſſe neceſſe erit, qui ſit ſpectatæ prudentiæ, & probitatis ſacerdos, & con-

feſſa-

Digitized by Google

feſſarius; quique latentes animorum morbos non cognoſcere ſolùm: ſed curare etiã optimè nouerit.

Huius munus erit vel voce, vel ſcripto quotidie, vbi pranſum, cœnatumq; fuerit, tria, aut plura capita ad meditandum proponere.

Nunquam aberit, cum inter ſe de meditationum fructu communicant: nec loco exercitationum abibit, niſi prius præfinitum illis tempus vniuerſum effluxerit.

Ad meditationis ſtudium, & conſcientiæ diſcuſsionem ſtudiosè illos inſtituet, qui ſpirituales exercitationes ſuſcipere volent.

Hortabitur ad totius anteactæ vitæ culpas confitendas generatim omnes; & eos, quibus id facere propoſitum fuerit, benignè audiet.

Nullum omninò diem tranſire patietur, quin ſemel ſaltem ſingulos alloquatur, & ex ijs quantum proficiant, ſciſcitetur.

Obibit interdum cubicula ſingulorum; & ne qua eſculenta, libros minus religioſos, aut quid aliud huiuſmodi habeãt, prouidebit: Quod etiam tùm frequentius faciet, cùm precationibus danda opera erit.

Toto prandij, cœnæq; tempore aliquid ſpirituale legendum, ſilentiumq; religiosè ſer-

ſeruandum curabit: antequam diſcumbant, ſtatam benè precandi formulam adhibebit; cibo ſumpto de more gratias aget.

Exercitationibus abſolutis, litteras earum teſtes, ſi quis petierit, dabit.

Quæ præſtanda ſint ab Ordinandis ijs, qui ſunt alienæ Diœceſis.

FIeri ſæpenumero ſolet, vt ex aliena Diœceſi ad noſtram ordines ſuſcepturi plures conueniant. Hos ſcire in primis oportet ſe opportuno tempore debere adeſſe, nō modo vt teſtificationes rerum, quas mox enumerabimus, afferant; ſed etiam vt digni, an indigni ſint eo ordine, quem petunt, examine à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo, vel ab Examinatoribus eius iuſſu Mediolani habendo probetur.

Quiſquis igitur alienæ Diœceſis erit, hęc ab Ordinario ſuo habeat.

Dimiſſorias de ordine ſuſcipiendo.

De proximè ſuſcepto teſtimoniales litteras.

Teſtimonium de nomine ſuo in Eccleſia publicè, vt moris eſt, ordinis ſuſcipiendi gratia denunciato.

De natalibus, aut de legitima ſuper ijs diſpenſatione.

De

Digitized by Google

De functionibus ſuperiorum ordinum ritè præſtitis.

Diſpenſationem ſuper interſtitio, ſi Epiſcopus ex Eccleſiæ ſuæ vtilitate, vel neceſſitate eſſe cenſuerit, vt non ſeruatis a Concilio Tridentino præſcriptis temporum interuallis, promoueatur.

Teſtimonium prætereà de vitæ honeſtate, & morum integritate; itemq; ſi ſacrum ordinem ſuſcepturus eſt, de patrimonio, vel de titulo, vel de cenſu.

Quæ omnia teſtimonia a proprio Ordinario, a quo dimiſſorias litteras impetrauerit, recognita, & approbata eſſe oportebit.

Dimiſſoriæ verò de ordine ſuſcipiendo, & teſtimoniales de præſtitis functionibus, & de morum honeſtate litteræ ne ſint plus duobus ante ſacræ ordinationis diem menſibus datæ.

Quodſi diuturna alicuius abſentia vetuſtiores etiam litteras accipi, probariuè poſtulet, recentiores a quibus debet, inde afferat, vbi proximè commoratus eſt: qui locus ſi ſit extra ſuæ Diœceſis fines, eas ab eiuſdem loci Epiſcopo obſignatas, aut eius auctoritate munitas afferat.

Quæ

Digitized by Google

Quæ præſtanda ſint à Regularibus.

REgularis ad primam Tonſuram, aut ordines promouendus caueat, ne aliquo ſit impedimento canonico illigatus, vt ſupra dictum eſt de alijs promouendis.

Adeat ipſe etiam triginta ante ordinationem diebus Archiepiſcopum, nomenq; & cętera, quæ de alijs Ordinandis tradita ſunt, Cancellario Archiepiſcopali exhibeat.

Præſcripto tempore ad examen accedat; ac de his prӕterea teſtimonium habeat.

De functionibus illius ordinis, quem proximè ſuſcepit, frequenter, & religioſè præſtitis.

De frequentiore Confeſsionis, & Communionis vſu.

De progreſsionibus in regulari diſciplina, in ſtudijs litterarum, nec non obſeruantia erga ſuperiores, & ſacerdotes; prӕtereà (quod loco tituli, cēſusuè habetur) de prę-ſtita regulari profeſsione; quam iuratus, ſcriptoq; ſuo Chirographo confirmato Archiepiſcopo præſente affirmet ſe, quemadmodum ſpontè fecerit, ita firmam, & ratam ſemper antea habuiſſe. Quod ſcriptum in

Prouer.2. decret.24.

in Archiepiſcopali Archiuio aſſeruandum Cancellario tradat.

Teſtata præterea habeat, nomen ſuum publicè in Eccleſia de more euulgatum, peritiam cantus, recitandi diuinum officium, aliarumq; rerum ad functiones ſuſcipiendi ordinis pertinentium; ætatem, quemadmodum ſupra de alijs conſtitutum eſt; interſtitium denique ex Concilij Tridentini præſcripto ſeruatum, niſi aliud Eccleſiæ neceſſitatem, aut vtilitatem requirere Archiepiſcopus iudicauerit. *Prou. 5.*

Quæ verò ad uitæ, morumq; honeſtatem pertinent, ea afferat confirmata litteris Superioris ſui: In quo quidem tametſi ſolus Archiepiſcopus etiam Regularium ſuperior cenſeatur, vt Conſtitutione Bonifacij octaui cauetur, tamen quoniam vſus obtinuit, vt ab ipſis Monaſteriorum ſuperioribus probitas, & mores ſuorum Regulariũ commendentur, illud ſaltem diligentiſsimè obſeruãdum erit, vt prædictæ Regularium litteræ ad nullum alium, niſi ad Diœceſanũ Epiſcopum dentur; qui ſi abſuerit, aut ordinationes habiturus nó erit, poterunt ad alium quemuis concedi; dummodo regulares ipſi litterarum huiuſmodi conceſsionem dedita opera non diſtulerint in id tempus, quo vel abſuturum, vel ordinationes *In capit. Cũ nullus. De temp. ord. in 6.*

nullas

nullas habiturum Diœceſanum Epiſcopum nouerint. Atq; ideo illo abſente, vel ordinationes quacunq; de cauſſa non habente, ad alium Epiſcopũ litteræ dimiſſoriæ, dentur, in quibus Diœceſani abſentiæ, & ordinationum non habendarum cauſſa exprimatur.

Litteræ duobus, tribusuè menſibus antiquiores ne ſint, niſi propter ſuperioris abſentiam, aut iuſtam aliam cauſſam, vetuſtiores etiam accipi, probariuè æquum eſſe Archiepiſcopus iudicauerit: Neque ab alio datæ ſint, quam a ſuperiore illius Monaſterij, in cuius quiſq; familiam adſcriptus uerè domicilium habet: Quod ſi ab eo aliquandiu abfuiſſe contigerit, præter eas, afferre etiam alias oportebit a ſuperiore illius Monaſterij, in quo proximè commoratus eſt.

Quæ in recognitione promouendorum præcipuè animaduertenda, & in ordinatione a promouendis ſeruanda.

PRæfinitis igitur, ut ſuprà, diebus; quicunq; promouendi erunt, ſeculares, regularesuè, huius, alteriusuè Diœceſis ſint,

ad

Digitized by Google

ad Archiepiſcopum omnes conueniant, ut eorum delectus fiat, teſtificationesq; recognitæ approbentur.

Nemo autem ſine diſpenſatione canonica, aut legitima licentia ad primam Tonſuram, minores, maioresuè Ordines ſuſcipiendos accedere audeat, qui ſe vno aliquo ex ante commemoratis impedimentis illigatum, aut quoquo modo inhabilem eſſe intelligat; neq; ſine veris proprii Ordinarij dimiſſorijs litteris; neq; furtim, aut præpoſterè; neque, quod attinet ad ſeculares, ſine certo beneficij, vel patrimonij titulo; neq; demum ante ætatem cuiq; ordini a ſacro Tridentino Concilio præſtitutam, aut non ſeruatis temporum interſtitijs: Qui autem extra tempora a iure ſtatuta, ſiue ante ætatem legitimam, vel ſine dimiſſorijs litteris ſe promouendos curauerint, ſciant ſe ex Pij ſecundi conſtitutione tamquam malè promotos a miniſterio, & functionibus ordinum ſuſceptorum eo ipſo eſſe ſuſpenſos; Quod ſi temerè functiones malè ſuſceptorum ordinum obire non dubitauerint irregularitatem eo ipſo incurrant; propter quam vltrà alias pœnas in tales generatim a iure ſtatutas, illa etiam addi poteſt, vt Eccleſiaſticis beneficijs iure priuari poſſint.

Digitized by Google

Quamobrem, ne quid tale pati cogantur, nullam omninò fraudem, dolumuè adhibeant; quin potius in eo laborent, vt digni ſint, quibus non immeritò ordines deferantur.

Diebus, qui ſuprà præſcripti ſunt, clericali habitu decenter induti in aulam Archiepiſcopalem conueniant, vocatiq; ad Archiepiſcopum modeſtè accedant.

Feria verò ſexta Sabbatum ſacræ ordinationis proximè præcedente, quicunq; minores, maioresuè ordines ſuſcepturi ſunt, poſt habitum eodem die Promouendorum delectum, in Archiepiſcopale ſacellum ingreſsi ſermonem attētè audiant, fructumq; ex eo aliquem ſalutarem animis capiant deinde Pij ſecundi litteris, quę a Cancellario recitabuntur, animum diligenter aduertant, & dum futuræ ordinationis hora in ſequentem diem indicitur, vt in tempore adeſſe poſsint, ſtudiosè obſeruent.

Interim ſe colligentes, mentemq; ab humanarum rerum cogitationibus auocantes pijs meditationibus totos ſe dedant, atque non ſolùm ad ordinum characteres, ſed ad vberiores etiam diuinæ gratiæ fructus accipiendos ſe parent: Quod vt conſequi facilius poſsint, animæ ſordibus per confeſsio-

niem antè ablutis ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum ſequenti die in ſollemni Miſſa ordinationis, quam maximè fieri poteſt piè, & religiosè de manu Archiepiſcopi ſumant. Atq; id quamquam eſt initiãdis omnibus faciendum, tamen qui ſacris ordinibus adſcribuntur, prætermittere nullo modo debebunt.

Stata ſacræ Ordinationis die, vbi primũ campano ære dari ſignum illius audierint, in Eccleſiam Metropolitanam ſeſe recipiãt vniuerſi, & quem quisq; locum a Cærimoniarum Magiſtro acceperit, eum teneat, antequam Archiepiſcopus ad ordinationem celebrandum accedat.

Singuli faculas cæreas accenſas manibus geſtent, veſtesq; paratas habeant ſuo quiq; ordini congruentes.

Quibus prima Tonſura deferenda eſt, ij ſuperpelliceum ita complicatum brachijs præferant, vt ſine perturbatione, & mora ſuo tempore ab Archiepiſcopo poſsit induci.

Qui ſunt minoribus ordinibus adſcribẽdi ſuperpelliceo humeris iniecto, atq; accõmodato accedant.

Ad Subdiaconatus ordinem promouendos alba, cingulo, amictu oportet eſſe indutos, quem tamen neque obuoluent capi-

ti, neq; ita a tergo contrahent, & complicabũt, quin explicari facilè ab Archiepiſcopo, & capiti ſuperinijci poſsit. Manipulum prætereà habeant neceſſe eſt vna cum Tunicella brachio ſiniſtro impoſita, quibus ab Archiepiſcopo induantur.

Diaconatus ordinem ſuſcepturi, albam, cingulum, amictum, & manipulum, ſuis locis iniecta, & aptata habeant; brachio verò ſiniſtro dalmaticam diaconalem, & ſtolam ab ipſomet Archiepiſcopo inducendam ſubſtineant.

Qui verò ſacerdotes creandi ſunt, habeãt ipſi etiam albam, cingulum, amictum, manipulum, & ſtolam brachio dextro reflexam, læuo autem caſulam, & linteolum.

Sacrorum omnium indumentorum, quæ ad tantum myſterium adhibentur, color ſit albus, ad quem munditiæ omnis, & elegantiæ decor accedat.

Dum ſacræ Ordinationis opus peragitur, ſinguli cęrimoniarum Magiſtri nutus obſeruent; atq; ad eius præſcriptum conſideant, ſurgant, caput aperiant, genua flectant, & reliqua obeant, quibus conformentur cum cæteris, qui adſunt in Choro; neq; inter ſe, neq; cum alijs colloquantur; ſed animum, mentemq́; omnem ad ordinis, quem ſuſcepturi ſunt, dignitatem conuertant.

Vbi

Digitized by Google

Vbi ſe nominatim vocari ab Archiepiſcopali Cancellario ſenſerint, ita vt audiri ab Archiepiſcopo poſsint, reſpõdeant, *Adſum Domine*; & accedentes ad Chorum, primũ quidem ante altare ſanctiſsimum Sacramentum, deinde Archiepiſcopum flexis genibus venerentur: tum ſinguli in orbem diſpoſiti in eiuſdem Chori ſolo procumbant in genua.

Qui prima Tonſura initiandi ſunt, non ita abraſo capillo accedant, quin ab Archiepiſcopo commodè poſsit incidi.

Singuli, dum tondentur, vna cum Archiepiſcopo clara voce dicant, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

Vocati deinde procedant quicunq; oſtiarij inſtituendi ſunt; & cum ipſis, tum reliquis promouendis, inſtrumenta, quæ tamquam materia ſuſcipiendi Ordinis ab Archiepiſcopo porrigũtur, curæ ſit manu dextra tangere, anulumq; Pontificis oſculari.

Oſtiarij prætereà ad Sacriſtiam Archidiaconum ſubſequantur; vbi fores aperiant, claudant, tintinnabulum pulſent, atque in Chorum modeſtè reuerſi flexis genibus in orbem, vt ante, diſpoſiti, ſuo quiq́ue loco conſiſtant.

Item qui ſacris Ordinibus imbuẽdi ſunt,

eodem planè modo, quo ſuprà, in Chorum vniuerſi veniant; atq; vbi primum ſollemnis litaniarum precatio à Cantoribus cæpta fuerit, ſeſe omnes in terram abiiciant, & proſternant: Ea verò abſoluta ſoli in Choro relinquantur ad Subdiaconatus ordinem promouendi, cæteri ad ſuum quiq; locum recedant.

Horum ſinguli ab Archiepiſcopo quidē calicem, & patenam ſacram accipiunt; ab Archidiacono verò urceolos Vino, & Aqua plenos, vna cum bacile, & manutergio, quæ omnia tangere debent.

Poſtquam verò peractis omnibus ornati ſacris veſtibus fuerint, quicunq; Subdiaconatum ſuſceperint, ad ſua loca ſe conferāt; Ex quorum numero, qui ad Epiſtolam recitandam à cærimoniarum Magiſtro delectus fuerit, illud ſedulò curet, vt ritè omnia præſtet, vocisq; moderatione ſcitè, & congruēter vtatur.

Ac primum quidem poſt pronunciatum Epiſtolæ titulum, benedictionem ab Archiepiſcopo genibus flexis accipiat; ea deinde perlecta ad eumdem clauſo libro accedat; quo in ipſius Pontificis gremio decenter depoſito, eiusq; manibus oſculo ſubmiſsè impreſſo recedat.

Idem quoq; ſtudiis ſingulis in rebus adhibendum

bendum erit ab his, qui ſunt Diaconatus ordinem ſuſcepturi; è quibus cui fuerit Euangelii recitandi onus impoſitũ, is Euãgeliorum librum de abaco capiens, Acoluthis cum cantharis, thuribulo, atq; acerra, nec nõ Subdiacono, qui Epiſtolam legerit, præeuntibus, in medium ante altare procedat; vbi altare ipſum, & Archiepiſcopum genuflexione veneratus; depoſito in eodem altari libro, ad oſculandas Pontificis manus accedat; vnde regrediens, atq; ante altare in infimo gradu procumbens in genua tacitè dicat, *Munda cor meum &c.* ſumpto deinde libro, iiſdemq; vt ſuprà, præeuntibus, ad locum Euangelio canẽdo præſcriptum progrediatur. Hic librum Subdiacono tradens, *Dominus vobiſcum*, & Euangelii titulum eo uocis modulo, ſonoq; pronũciet, quo Dominicis diebus pronunciari mos eſt. Eo pronunciato innixus genibus ab Archiepiſcopo benedictionem accipiat; denique ad mediam libri partem, ad dextram, & læuam, thuribulum circumagendo, thurificationem adhibeat.

Poſt Euangelium recitatum Subdiaconus vtraq; manu librum patentem præferens, Archiepiſcopo præbeat Euangelii titulum oſculandum: eo deinde clauſo Archiepiſco pum flexis genibus veneratus diſcedant.

Digitized by Google

Cum ad Presbyteratus ordinem prouehendis inungendæ, & conſecrandæ ſunt manus, eas ita explicatas, & expeditas habeant neceſſe eſt, vt nihil omnino ſit, quod liniri ſacro oleo poſsit. Singuli uerò poſt uerba, quæ in huiuſmodi conſecratione ab Archiepiſcopo uſurpantur, clara uoce reſpondeant, *Amen*.

Manibus, poſtquam eæ iniunctæ fuerint, iunctis, & linteolo illigatis ad Archiepiſcopum omnium conſecratione peracta, reuertantur: ubi inter indices, & medios digitos patenam cum Hoſtia Calici cũ Vino, & Aqua impoſitam ita accipiant, ut indices Hoſtiam, medii uerò digiti cupam Calicis tangant. Quibus omnibus expeditis, quicunq; ſacerdotes creati fuerint, apud abacum in vaſis ad huius rei vſum comparatis manus abluant, diligenterq́; etiam medulla panis perfricatas extergeant. Deinde cum Miſſalibus ritu Ambroſiano flexis genibus propè Archiepiſcopum omnes diſpoſiti vna cũ eo demiſſa voce omnia, & præcipuè Canonis, & Conſecrationis verba pronunciabunt; dabuntq́; propterea operam, vt peritum aliquem ſacerdotem, à quo inſtrui poſſint, adhibeant.

Vbi ad Offertorium ventum fuerit, ordinati omnes, ac primum Presbyteri, tũ Diaconi,

coni, Subdiaconi, atq; ita deinceps vſq; ad eos, qui primam Tonſuram acceperunt, ante Archiepiſcopum bini ſe ſiſtent, candelasq; quas accenſas prætendent, oſculo primum illis, tùm ipſius Archiepiſcopi eaſdem accipientis dextræ impreſſo, ſinguli offerent.

Ante commnnionem vnus ex quouis ordine a Magiſtro cęrimoniarum delectus ad pacis oſculum ab Archiepiſcopo accipiendum ad altare accedens, illud ad dextram Pontificis oſculatur; Pace deinde accepta reſpondet; *Et cum ſpiritu tuo*; flexisq; genibus eam ad alterum ſui ordinis defert, hic item ad alterum, & ſic deinceps ad vltimum vſque proceditur.

Præterea ad ſacram Communionem omnes accedunt; ac primum quidem Presbyteri, tùm Diaconi, & Subdiaconi, poſtremò reliqui omnes ex ordine. Poſtquam autem ſuum quique locum inclinatis genibus occuparunt, ſinguli ex Diaconis, & Subdiaconis tantum, ſubmiſsa voce formulam confeſſionis pronunciant; qua finita, & ab Archiepiſcopo verbis abſolutionis prolatis, terq; repetito verſiculo, cuius initium eſt, *Domine non ſum dignus*, ad ſupremum altaris gradum aſcendunt Presbyteri, quos cæteri conſequuntur, bini omnes. Ante vero quã

Eu-

Digitized by Google

Euchariſtiam ſanctiſsimam ſumãt, manum Pontificis porrigentis hoſtiam oſculantur; dictoq́; ab eo, *Corpus Domini noſtri, &c.* reſpondent. *Amen.*

Sacra communione ſuſcepta, ſinguli ad ſe purificandos accedunt, atque oreabſterſo ad ſua quiq; loca ſe conferunt.

At uerò Presbyteri ante communionem, neq; formulam confeſsionis pronunciant, neque abſolutionem accipiunt; idq; ob eã cauſſam, quia una cum Archiepiſcopo celebrare dicuntur: ante quem ſtantes, ubi cæptum eſt reſponſorium; *Iam non dicam vos ſeruos*, fidem, quam prædicaturi ſunt, profitentur, una omnes Apoſtolorum Symbolum recitantes.

Mox ad Archiepiſcopum accedẽtes poſt impoſitas ab eo manus, & caſulam explicatã proni omnes innixi genibus, ſinguli manus ambas iunctas inter manus ipſius Pontificis medias inſerunt; eiq́; dicenti, *Promittis, &c.* reſpondent clara uoce *Promitto.* Paciſq́; uerba pronũcianti ſubijciũt, *Amẽ.*

Poſtremò, cum peractis omnibus, ad Archiepiſcopum iterũ uocati accedunt, quidquid ab eo pœnitentiæ nomine ſibi irrogatum ſentiunt, id totum non modo piè, ac libenter accipiant, ſed ultrò etiam ſe facturos eſſe reſpondeant: acceptaq́; benedictione,

ne,

ne, Presbyteri S. Ioannis Euangelium ipſi etiam legant, ac deniq; omnes ad ſua ſe loca recipiant; donec inde profecto Archiepiſcopo, ſinguli ſacras ueſtes, necnon ſuperpellicea exſuăt, memoresq; diuini muneris, & dignitatis, cuius effecti participes ſunt, ſine perturbatione, & tumultu recedant.

Quæ poſt ſuſceptos ordines ab Ordinatis præſtanda ſint, & de ſingulorum Ordinum functionibus.

IN uanum uerò per manuum impoſitionẽ Dei gratiam recepiſſe uideri meritò poſſent, ſi poſt ſuſceptos ordines eorum functiones ita negligenter præſtarent, ut neq; illam quotidie magis augere, neq; miniſterium ſuum Eccleſiæ, fidelibusq; utile eſſe cõtenderent. Quamobrem cum ſtatus ſui dignitatem, & conditionem perpendere accuratè debebunt, tùm pia cęleſtium rerum meditatione, frequenti ſacramentorũ uſu, innocentia uitæ, morumq; integritate, miniſterij ſui exercitatione vt infra, ſe tales præbere, qui digni ſint, ut ad ulteriores gradus ſuo tempore euehantur.

Quiſque ſuſcepti ordinis inſtrumentum, ſacra Ordinatione peracta, a Cancellario ſtatim ſumat, idq; penes ſe ita ſemper habeat, ut Archiepiſcopo quauis occaſione

pe-

petenti exhibere commodè poſsit.

Quamuis autem exorciſtæ exorcizandi; Presbyteri uerò, qui populum non habent, peccata condonandi facultatem accipiant, meminerint tamen huiuiſmodi poteſtatem niſi Archiepiſcopo permittente, exercendam non eſſe.

Quidquid ab Archiepiſcopo unicuique iniunctum eſt pœnitentiæ nomine, id quam primum, & ſedulò præſtet.

Presbyteri Miſſam ante ne celebent, quã ritus omnes, & cerimonias optimè teneãt, periculumq; ea de re faciant illo preſente, cui ab Archiepiſcopo delatum id muneris fuerit. Facti uero periculi teſtimonium, uel ad Archiepiſcopum ipſum afferant, uel ad eius Vicarium generalem, a quo Miſſæ celebrandæ facultatem in hanc ſequentem formam accipiant.

FEDERICVS

Miſeratione diuina Presbyter Cardinalis S. Mariæ Angelorum Archiepiſcopus Mediolani.

Tibi Presbytero cognita per examen litterarum intelligentia, & ſacrarum cærimoniarum peritia

peritia tua prima Miſſa ſacrum in Ecclesia
faciendi facultatem concedimus.
Dat. ex Aedibus Archiepiſcopalib. Die
Menſis Anno

Si quis ab Ordinario ſuo teſtimonialibus, dimiſſorijsuè litteris impetratis ab alio fuerit ordinatus, intra menſem ad ſummum ſuſcepti ordinis teſtificationem ſcriptam ad eũdem ſuum Ordinarium afferat: Quod ſi iuſta aliqua cauſſa impeditus facere ipſe non posſit, ut ſuo nomine ab alio fiat, omnino operam dabit: Poſteà uero, cũ primum ei commodum fuerit, ipſe etiam ſe coram Epiſcopo ſiſtet: vt & in codicem, in quo ordinatorum nomina deſcribuntur, referri poſsit, & certæ alicui Eccleſiæ, ſi nondum eſt adſcriptus, ex Decreto Tridentini Concilij adſcribatur.

At verò ſi ad ordinem, propter quem litteras impetrauerat, promotus quacunque de cauſſa non fuerit, eaſdem litteras, vel dimiſſorias, vel morum teſtimoniales per ſe, vel per alium quã primũ Epiſcopo reddet.

SANCTORVM ordinum functiones, ab Apoſtolorum vſq; temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, vt Triden. Conc. cauetur, nonniſi per conſtitutos in *Seſſ. 23. c. 17.*

dictis

dictis ordinibus exerceri debent, atque propterea omnibus ſingulisq; Prælatis præcipitur, vt quantum fieri commodè poterit, in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, & Parochialibus ſuæ Diœceſis reſtitui curent, aſsignatis etiam ſtipendijs, vel ex aliqua parte redditũum ſimpliciũ beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ, ſi aliunde non ſuppetant, eas Exercentibus; Quorum executionem tam flagranti deſiderio exoptat Sancta Synodus, vt vel ipſos coniugatos vitę probatę, & ad ea munia obeũda idoneos ad miniſteria quattuor minorũ Ordinum exercenda, dummodo bigami nõ ſint, Tonſuram, & veſtes clericales geſtantes, aſſumendos cenſeat; ſi forſan Clerici cælibes præſtò non ſint, potiusq; a Laicis huiuſmodi munera tractentur, quæ ab ijs omnibus ea ratione exerceri iubet, vt negligentes in ijs obeundis Ordinarij iudicio prædictis æmolumentis, aut ex parte mulctari, aut in totum priuari velit; vt igitur in hac Mediol. Eccleſia diligenti ſtudio retineantur, & aſsidua exercitatione recolantur, viſum eſt ſingulorum ordinum functiones breuiter, & ſummatim hoc in loco ſubijcere.

De

De Oſtiario.

OStiarius Eccleſiæ foribus ſuo tempore claudendis, & aperiendis præpoſitus eſt. *Cõc. Trid. ſeſſ. 22. de ſacrif. Miſſe.*

Eius præcipuum munus curare, vt pateant fidelibus, infidelibus clauſæ ſint; ne hæretici, excommunicati, alijuè, quibus iure interdictum eſt, in Eccleſiam ingrediantur, ingreſsi vero ſtatim eijciantur.

Dabit operam ne populus ad ſacerdotẽ rem diuinam facientem, aut alijs ſacris Officiis celebrandis intentum propius accedat; item ne quis parum religioſè altari innitatur, ne quid a loci maieſtate abhorrens in eo fiat, ne quis ad aquæ benedictæ fontem diutius cum aliorum ſcandalo commoretur.

Ne ſeculares cum clericis in Choro diuina officia obeuntibus commiſceri poſsint, omnes chori cancellis excludet; vtq; mares a fœminis in Eccleſia ſeorſim ſint, laborabit, modeſtè etiam admonendo eos, qui ad parendum minus prompti eſſe videantur.

Si quos in templo dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aut quid aliud alienum a dignitate Eccleſiæ facientes, vel quoquo modo diuina officia Cõſt. Pij v. & Prou. 6.

ficia

ficia perturbantes animaduerterint, eos benignè, & perhumaniter commonebit, maximè verò quando aut attollitur, aut miniſtratur ſanctiſsimum Sacramentum: pertinaces, & parere recuſantes expellet, aut ſaltem ad ſuperiorem deferet.

Conc. prouinc. I. Mendicos homines, & ſtipem cum loculis etiam in vſum ipſius Eccleſiæ flagitantes ad fores amouebit.

Vt omnes Eccleſiæ partes mundæ, & ſine ſordibus ſint, diligenter ſtudebit.

Altaria, in quibus diuina res fieri conſueuit, pallijs, mappis, alijsq; rebus ad elegantiam vſq; ornabit; eaq; ab omni ſordiũ, pulueris, & aranearum labe pura, atq; integra conſeruabit; celebratione verò peracta ſtragula tela operiet.

Sacriſtiæ fores ſuo tempore claudet, atq; aperiet; omnemq; ſacram ſupellectilem, ſi a ſuperiore delatam eius rei curam acceperit, diligenter cuſtodiet.

Curabit prætereà ne canibus, cæterisq; brutis animantibus aditus in Eccleſiam aliqua ratione aperiatur; venationem verò, aut aucupium facientes non permittet, vt ante ingrediantur, quam canes, & venaticas aues foris reliquerint.

Singulis diebus feſtis doctrinæ Chriſtianæ ſcholas adibit; pueros, vt modeſtè ingre

diantur;

Digitized by Google

diantur, & egrediantur; ne abeant, niſi Præfectus poteſtatem fecerit exeundi; ſilentio vt vtantur; in ſuis quiq; locis, vt maneant; vt neq; circumcurſent, neq; obſtrepant, ſeuerè monebit.

Quotieſcunq; diuina ſacramenta, maximè verò ſanctiſsimam Euchariſtiam miniſtrari contigerit, vt ea, qua par eſt, pietatis, & religionis ſignificatione adſiſtant, fideles hortabitur.

Quo tempore conciones, lectionesuè in templo habentur, importunis collocutionibus, & clamoribus perturbari concionatores, lectores, piosuè auditores non ſinet.

Litteras Archiepiſcopales ad alias Eccleſias, & ad Parochos deferet, præcipuè verò eas, quibus ieiuniorũ dies indicuntur. *Cap. 1. diſt. 25.*

De Lectore.

PErtinet ad lectorem Prophetias, quæ in ſacrificio Miſſæ adhibẽtur, attẽtè, pièq; recitare; & in Eccleſia pro temporum varietate veteris, nouiq; Teſtamenti partem aliquam populo audiente pronunciare.

Cap. clericos diſt. 1. cap. 1. diſtinct. 25. c. vt quiſque, extrà. de vit. & honeſt. cleric.

Pueris, ſi ita Archiepiſcopo videatur, prima fidei rudimenta tradere, eosq; diebus feſtis etiam in Eccleſia Chriſtiana do-

Digitized by Google

ctrina inſtituere, deniq; Homilias ſanctorum legere, & a moribus, vitaq; illius ſancti, cuius dies feſtus agitur, non diſcordare.

De Exorciſta.

Capit. 1. diſt. 25. cap. exorciſta. diſt. 23

NVllum Exorciſmi librum, vel memoriæ mandet, vel ſuper Energumenos legat, quem non ante Archiepiſcopus comprobarit; neq; opus tàm arduũ ante aggrediatur, quàm omni de re conſultus idem Archiepiſcopus aſſenſus fuerit: Librum verò nulla parte augere, imminuere, mutare ſibi fas exiſtimet.

Cõc. prou. 1. tit. de officio Exorciſta.

Cõc. prou. 1. tit. de offi. exorciſt.

Caueat ne ad hoc munus fungẽdum, aut ſpe quæſtus faciendi, aut res abſtruſas, & ab hominum ſenſu, & cognitione ſeiunctas curioſius inquirendi deſiderio ducatur; ſed inſtructiones hac ipſa de re fuſius in Exorciſmorum libro præſcriptas obſeruet.

Marc. c. 9.

Et quoniam ex doctrina Saluatoris eſt quoddam genus dæmoniorum, quod non eijcitur niſi in ieiunio, & oratione, his duobus tamquam firmiſsimis præſidijs ſeptus, atq; munitus ad tam difficilem dimicationem ſe inſtruat.

Synod. diœceſ. 4. decret. 18.

Ante verò quam aduerſus improbos dęmones exorcizando pugnam ſuſcipiat, de Ener-

Energumeni, Energumenæuè moribus, & vita cognoſcat; actiones deinde, corporiſq; motus obſeruet, & medicum, ſi opus eſſe cenſuerit, adhibeat in conſilium, vt intelligere planius poſsit, vtrum eorum, quæ ab ijs, vel agitatione corporum, vel alio quouis modo fiunt, in morbi alicuius, atræuè bilis impetum cauſa referenda ſit, an diſsimulationi potius, aut dæmonum obſidentium viribus tribuenda.

Videat item an aliquo ſint excommunicationis vinculo illigati, & abſolutionem acceperint, necne.

In tam religioſo munere obeundo non modo propoſitam ſpem vllam quæſtus nō habeat, ſed ne doni quidem, aut muneris nominė quidquam omnino accipiat.

In prophanis ædibus, lociſq; priuatis ab hoc munere prorſus abſtineat; cuius proprium locum apertam aliquam, & conſpicuam Eccleſiæ partem, nec cuiuſuis Eccleſiæ, ſed illius dumtaxat, quam Archiepiſcopus conſtituerit, eſſe oportet.

Id verò quemadmodum palam, & multitudine inſpectante, ita remotis omnibus arbitris faciendum non eſt. Decet enim cùm viros aliquot ætate graues, & ſpectatæ virtutis, ac probitatis, tùm vnum, aut alterum Eccleſiaſtici ordinis intereſſe.

Exorciſmum mulieri Energumenæ non adhibeat, niſi duo ſaltem probati, prouectæq; ætatis uiri, totidemq; eiuſdem generis fœminæ adſint: quibus omnibus, ſi fieri poſsit, cum Energumena aliqua, vel affinitas, vel conſanguinitas intercedat.

Mares, præter vnum Eccleſiaſtici ordinis, omnes excludat.

Nec ante ortum, nec poſt occaſum ſolis quemquam ad exorciſmum admittat.

Nunquam duos ſimul, ſed ſemper ſigillatim ſingulos exorcizet.

Ad grauiſsimam muneris huius functionem religioſè præſtandam oratione, ieiunio, peccatorum confeſsione, & ſanctiſsimæ Euchariſtiæ perceptione ſe muniat; & cum ſumma animi demiſsione, & fide memor poteſtatis ſibi a Domino traditæ dæmones expellendi, ad huiuſmodi certamen accedat.

Energumenis, niſi ab omnibus anteactæ vitæ culpis per ſacramentalem confeſsionem expiatis exorciſmũ nullo modo adhibeat; monitosq;, vt orationibus, ſanctis meditationibus, pietatiſq; officijs vacent, ad religioſas quoq; Eccleſias reliquijs ſanctorum inſignes certis diebus piè viſendas, & ad ieiunia ſaltẽ ſexta quaq; feria pp dñicæ paſsionis memoriam amplectẽda hortetur.

Dum

Dum exorcizat, a capite, humeris, manibusq; Energumenæ contrectandis omninò abſtineat; altari neq; eam, neq; Energumenum quemquam imponat; nihil deniq; agat, quod adſtantium oculos, animosuè poſsit offendere.

De Acolytho.

ACOlythus maiores Miniſtros Subdiaconos, & Diaconos affectetur, eisq; præſertim in altaris miniſterio operam det.

Cum Miſſæ ſacrificiũ celebratur, & Euangelium legitur, aut Hoſtia ſacra attollitur, cumq; ſupplicationes habentur, lumina accendat, & deferat. *C. cleros. §. Acoly. d. 23 Capit. 1. diſt. 25.*

Vrceolos aqua, vinoq; impleat, thuribulum cũ igne paret, acerramq; item cum incenſo, & cocleari expeditam habeat; & ſingula Subdiacono ſuo tempore porrigat.

Dum ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramẽtum miniſtratur, cum luminibus adſit.

Sacerdoti diuinam rem facienti in ſua Parochiali Eccleſia, vel in ea, cui nomen dederit, religiosè inſeruiat.

Digitized by Google

De Subdiaconis.

SVbdiaconi, ut nomen ipſum declarat, leuitarum præceptis, atq; officijs ſubiacent. Huius ordinis functiones ad Apoſtolicam traditionem referēdas eſſe ex ſanctis Patribus, præcipuè verò ex S. Ignatio Apoſtolorum diſcipulo perſpicuè intelligitur.

Ignat. Epiſtola 11. Baron. li. Anna. Eccleſ. ann. Chriſti 34. pag. 233. & 44. pag. 324. Capit. 1. diſt. 21.

Subdiaconi munus eſt ſacra lintea, vaſa, Panem, & Vinum ad ſacrificij vſum neceſſaria comparare.

Presbyteris, & Diaconis, cum in ſacrificio Miſſæ manus abluunt, aquam, manutergiumq; præbere.

In Miſsis Conuentualibus Epiſtolam recitare.

C. clericos diſt. 21.

A fidelibus in Templo Domini oblationes ſuſcipere, easq; Diaconis altaribus imponendas deferre.

C. cleric. diſtin. 21. §. hypodiac.

Diaconis, & Presbyteris obedire, eisq; ad altare inſeruire.

De Diaconis.

SEcundum gradum ſacrorum Ordinum Diaconus obtinet, qui Miniſter latino nomine dicitur: Quod enim eſt in ſacerdote conſecratio, idem in Diacono miniſterij diſpen-

diſpenſatio. Hi olim non modo communibus menſis fuere præpoſiti, verum etiam Euangelij prędicandi munus interdum acceperunt. Quamobrem, vt quarto Toletano Concilio ſancitum eſt, orarium oportet leuitá geſtare in ſiniſtro humero, propter quod prædicat, dexteram autem partem habere liberam, vt expeditus ad miniſterium ſacerdotale diſcurrat. *Cap. vnā diſt. 25.*

Sacerdoti rem ſacram facienti, vel alia Sacramenta adminiſtranti præſto eſt.

Offert eos, qui vel baptiſmum, vel ordines ſuſcepturi ſunt.

Oblationes altari imponit, dominiq́; mēſam componit, & ornat.

Incenſum, & quæ ſunt ſacrificio neceſſaria, curat.

Crucem defert.

Euangelij lectione fidelium mentes ad ſtudium perfectionis, & æternæ vitæ amorem excitat: nam quemadmodum vetus lectoribus, ita nouum Teſtamentum Diaconis prædicandum eſt; ad quos etiam pertinet ſanctorum nomina recitare, & dominicis feſtisq́; diebus reſponſoria canere.

Eius item muneris eſt cohortari populū, vt aures ad Deum habeat, pièq́; Epiſcopalem benedictionem recipiat.

Pacem donat, & nunciat; res Eccleſiæ cu-

Digitized by Google

rat, eiusq; redditus in vſum pauperum erogat, quorum curam ad ſe præſertim ſpectare noſſe, illum oportet.

Capit. 1. d. 25. vbi clamet. In ſanctiſsimo deniq; ſacrificio pro his clamat, qui obdormierunt in Domino, & disciplinæ rationem fideli populo tradit.

Ca. audire diſt. 25.

De Presbyteris.

C. Cleros diſt. 21. Sacerdotis eſt Ieſu Chriſti Corpus, & Sanguinem admirabile quadam, arcanaque ratione in altari conficere; & propter vtilitatem eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis, æterno Patri in odorem ſuauitatis offerre.

Ca. audire diſt. 21. Item ſacramenta ritè adminiſtrare, precationes recitare, dona Dei benedicere, prędicare, vim diuinæ legis chriſtiano populo tradere, ad eam ſeruādam fidelium animos inſtituere, & vincula peccatorum reſcindere; *Ca. deniq; diſt. 21.* deniq; diaconum, aliosuè inferioris ordinis Clericos, antequam ad Euangelium, aliamuè lectionem recitandam accedant, benedicere.

Prou. 1. part. 1. Sacerdotes, quibus legitimum impedimentum non obſtat, dominicis ſaltem, feſtiſq; diebus diuinam rem faciant; ſi uerò animarum curæ præpoſiti ſint, ter ſingulis hebdomadis celebrent, & crebrius etiam,

Digitized by Google

ſi vel conſuetudo, vel neceſsitas loci frequentiorem tanti ſacrificij vſum requiret.

Diaconi, & Subdiaconi ſingulis menſib. ſemel, & iterum, inferiorum verò ordinum Clerici ſemel de ſuis peccatis confiteantur, & ſacram Communionem, quibus per ætatem licet, percipiant.

Confeſsiones autem apud eos tantum ſacerdotes deponãt, quos in vrbe, & Diœceſi Archiepiſcopus idoneos iudicauerit: Sanctiſsimam vero Euchariſtiam, vel in propria Parochia ſumant, vel in alia quauis Eccleſia, quã Archiepiſcopus conſtituerit; idq; diebus feſtis, & ſi eo die, & loco celebretur, in Miſſa ſollenni: cuius rei fidem tertio quoque menſe ab ijs Archiepiſcopo fieri oportebit. *Prou. 2. decret. 26.*

Quiuis Eccleſiaſticus, ſi inferioris ordinis ſit, congregationibus menſualibus Clericorum interſit, ſi verò ſuperioris Parochorum.

Qui inferioris ordinis ſunt; Subdiaconi item, atque Diaconi Chriſtianæ doctrinæ ſcholas frequentent.

Functiones in Eccleſijs, quibus adſcripti ſunt, diligenter præſtent; nec ſedẽ Archiepiſcopo inconſulto relinquant ſacrorũ interdicti pœna propoſita, iuxtà Conc. Triden. Decretum, ſi ſecus fecerint. *Seſſ. 23. c. 16.*

Con-

Conſtitutiones hoc de genere editas, alteram Pij ſecundi, & alteram Sixti V. Quam poſteà. S. D. N. Clemens Octauus moderatus eſt, quo facilius quiſq; eas promptas habere poſſit, hic apponi iudicauimus.

LITTERAE PII II. PONT. De Clericis,

Qui ſine literis dimiſſorijs, vel ante legitimam ætatem, vel extra tempora ſacris initiantur.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

CVnctis diſponentes fidelibus iuſtitiam miniſtrari, tenorem cuiuſdam dudum per fęlicis recordationis Pium Papa II. prædeceſſorem noſtrum, ad futuram rei memoriam editæ, & in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo ſexageſimo

Digitized by Google

mo primo, Quintodecimo Kal. Decemb. Pontificatus ſui Anno Quarto, annotatę conſtitutionis præſentibus, ad inſtantiam dilecti filij noſtri Caroli Tit. S. Praxedis Presbyteri Cardinalis Borrhomæi nuncupati perpetui adminiſtratoris Eccleſiæ Mediolanen. inſeri, ac de verbo ad verbum annotari feeimus; volentes, & Apoſtolica authoritate decernẽtes, quod huinſmodi ſic inſerto tenori, in quibuſcunque cauſis intereſſe ipſius Caroli Cardinalis, & adminiſtratoris, concernentibus, duntaxat ſtetur, & plena fides adhibeatur vbiq; in iudicio, & extra illud vbi ille exhibitus fuerit, vel oſtenſus dictus vero tenor ſequitur, & eſt talis videlicet. PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei ad futuram rei memoriam. Cum ex ſacrorum ordinum collatione character inuiſibilis animæ imprimitur, ſacra myſteria diſpenſantur, vt ipſarum cura tribuatur animarum, in eorum ſuſceptione exceſſus grauius tantò magis plectendi ſunt, quantò ex illis maiora in mentibus fide-
lium

lium ſcandala generantur. Cum itaq; ſicut fide dignorum relatione, non niſi moleſtè accepimus: nonnulli Clerici extra tempora à iure ſtatuta: quidam ante ætatem legitimam: aliqui verò ſine dimiſſorijs literis, contra ſanctiones canonicas, ſe faciant ad ſacros ordines promoueri: Nos eorundem temeritatem tali caſtigatione reprimentes, vt alijs in poſterum committendi ſimilia aditus præcludatur, authoritate Apoſtolica, præſenti conſtitutione perpetuò valitura, ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes & ſinguli, qui abſq; diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſiue extra tempora à iure ſtatuta, ſiue ante legitimam ætatem, vel abſque literis dimiſſorijs etiam Citramontani à Citramontanis (præterquam ſi in hoc vltimo caſu per Cameram Apoſtolicam, iuxtà ipſius ſtilum ordinati fuerint) ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoueri, à ſuorum exequutione ordinum ipſo iure ſint ſuſpenſi: Et ſi huiuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem or-

dinibus

dinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant, propter quam vltra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas, beneficijs eccleſiaſticis, quæ obtinent, poſsint iure priuari: volumus autem quod præſens noſtra conſtitutio in Romana curia exiſtentes poſt quindecim dies, abſentes vero Italicos poſt duos: alios autem etiam Vltramontanos poſt ſex menſes ab ipſius in audientia contradictarum, & Cancellaria Apoſtolica, publicatione, ac affixione ligare incipiat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Rom. apud Sanctum Petrũ anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo primo, Quintodecimo Kalen. Decemb. Pontificatus noſtri Anno

Quar-

Digitized by Google

Quarto. NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo ſecundo, Nono Kalen. Martij. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Digitized by Google

SANCTISSIMI
D. N. D. CLEMENTIS
Diuina Prouidentia Papæ VIII.

Conſtitutio.

Moderatoria Bullæ fe. re. Sixti Papæ V. contra Clericos malè promotos, ac in Epiſcopos in ordinum collatione peccantes.

CLEMENS Epiſcop. ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei menoriam.

ROmanum Pontificem decet, ea, quę ob iuſtas cauſas interdum ſtatuta ſunt, cùm ipſa rerum experientia ſuadet, moderari, & immutare, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire. Aliàs ſanè emanarũt literæ fe. re. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri contra Clericos malè promotos, ac in Epiſcopos in ordinum collatione peccantes, tenoris infraſcripti videlicet.

SIX-

Digitized by Google

SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sanctũ, & ſalutare ſacri ordinis Sacramẽtum ab ipſo Domino, & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto inſtitutum, beatisq; Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus ſingulari diuinæ bonitatis munere traditum, ita ad Dei Omnipotentis gloriam ſalutemq; animarum ſanctè, ac religioſè adminiſtrari decet, vt quæ, vel ex typo, & figura veteris legis, vel aliàs ex multa ſanctorum Patrum prouidentia, circa ordinandorum natales, ætatem, vitæ ac morum probitatem, ſanctitatem, ſcientiam, & alias qualitates in ſacris ordinationib. requiſitas per ſacros Canones, vel Apoſtolicas Conſtitutiones, aut generalem Conciliorum decreta, ſalubriter ſtatuta fuerunt, ea inuiolatè obſeruentur. Nam ſi in veteri teſtamento tam multa de integritate & munditia Sacerdotum, & miniſtrorum altaris, deq; eorum præſtantia & dignitate legimus, de quibus dixit Dominus per Malachiã Prophetam, Labia

Sa-

Digitized by Google

Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt: certè multò maior ratio, & diligentia adhibenda erit in promouendis tam inferiorum graduũ Clericis, quàm etiam presbyteris, qui ad conſummationẽ Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationẽ Corporis Chriſti conſtituuntur; prout de his ipſis, & diuino verbo, & Beatorũ Apoſtolorum præceptis, ac ſimul Sanctorum Patrum ſtatutis ſæpiſſimè traditum eſt. Quare nos pro ea, quæ nobis a Domino iniuncta eſt cunctarum Eccleſiarum cura, & ſolicitudine, ipſos Paſtores & Præſules Eccleſiarum, quorum proprium munus eſt perſonas idoneas Clericali militiæ aſcribere, & ad minores, maioresq; ordines ritè promouere, auctoritate noſtra duximus admonendos, vt in exequendo hac in parte ſuo paſtorali officio attentius poſthac inuigilent, canonicas ſanctiones, vt par eſt, obſeruent, ac vt nemini detur offenſionis occaſio, neue eorum miniſte-

ſterium vituperetur; ſtudeant vitare ea omnia ſcandala, & abſurda, quæ ex vitioſa, & minus canonica Clericorum ordinatione cernimus cum magno animi noſtri dolore frequentius exoriri.

Cùm enim multi, etiam interdum inhabiles, & indigni, nō vocati ſancta Dei vocatione, ſed potius Satanæ dolis decepti, prætextu deuotionis & pietatis, rem quidem ſacram, & diuinum munus, intempeſtiuè tamē, & inordinatè, affectantes; ſeu temporale aliquod commodum, aut lucrum ſibi proponentes, vel nimia ſimplicitate, & imperitia, malitiauè, aut fraude ad ſuſcipiendum Clericalem characterem, alioſq; ordines, ante ætatem legitimam, vel a non ſuo Epiſcopo, aut non præuio debito examine, & approbatione, ſiue aliàs minus ritè, vel etiam temerè ſe ingerant: Debent ſanè Epiſcopi paterna charitate, & prudentia eorum ſaluti, qui ſæpè neſciunt, quid petant, meliùs etiam, quàm ipſimet poſtulant, & ſalubrius conſulere, nec tam quid fla-

gitent,

Digitized by Google

gitent, quàm quid expediat conſiderare: ſumma verò diligentia prouidere, tum in alienæ diœceſis ſubditis ordinandis, ne quemquam promoueant ſine eorum Ordinarij literis dimiſſorijs, tum in ricognoſcendis ipſis literis, ne falsò, aut ab aliquo, qui auctoritatem illas concedendi non habeat, confectæ ſint, tùm denique in examinandis natalibus, ætate, vita, moribus, ſcientia, idoneitate, titulo, & reliquis qualitatibus, ne quid in ſuæ, vel alienæ diœc. perſonis ad Clericalem honorem, & Eccleſiaſticos ordines promouẽdis deſideretur eorum, quæ ex præſcripto ſacrorum Canonum requiruntur.

Vt igitur Præſules Eccleſiarum intelligant, ſi in re tam graui, & tanti momenti culpa, aut negligentia peccauerint, ſe non modo in tremendo Dei iudicio, verùm in hoc quoque ſæculo Rom. Pontifici ſuę villicationis rationem fore reddituros; præſenti Conſtitutione perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, vt ſi in poſterũ Antiſtes aliquis Epiſcopali, Archiepiſco-

Digitized by Google

pali, Primitiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgens: aut Abbas ad primã Tonſuram minoresq; ordines ſuis ſubditis conferendos a Sede Apoſtolica auctoritatem habens, quemcunq; ſęcularem, vel cuiusuis ordinis; aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, ſeu aliàs inhabilem, vel irregularem exiſtentem, vel extra tempora a iure ſtatuta, vel abſque ueris dimiſſorijs ſui Ordinarij literis, aut per ſaltum, vel furtiuè, aut quo ad ſęculares ſine titulo ſufficientis beneficij, vel patrimonij, aut ante ætatem per ſacri generalis Tridentini Concilij decreta primæ Tonſuræ, aut cuique ordini præſcriptam, aut non ſeruatis temporũ interſtitijs, ita vt aliquis vnico die, ſeu continuatis diebus, ad plures ordines ſacros, vel poſt vnum ordinem ſuſceptũ ſine cauſa rationabili antequam tempus ab eodem Conc. Tridentino præfixum elabatur, ad alium ordinem promoueatur, ſine diſpenſatione, aut indulto Apoſtolico, Clericali charactere nõ legitimè

inſigniuerit, aut ad ordines minores, vel ſacros, vt prefertur, vel aliàs malè promo uerit, ſiue id ſcienter, ſiue ignoranter fe cerit, niſi debita diligẽtia adhibita iuſtus error, & probabilis facti ignorantia eum excuſet, vt, in quo deliquit, in eo puniatur, a collatione quorumcunq; ordinum atq; adeò ipſius tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtat, alijſq; grauioribus pœnis noſtro, & pro tẽpore exiſtentis Rom. Pont. arbitrio puniatur.

Quòd ſi ſpreta huiuſmodi ſuſpenſione, & interdicto in præmiſſis ſe temerè ingeſſerit, etiam a regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, & a perceptione fructuum menſæ eiuſdem, ac quorumcunq; beneficiorum per eum in titulum, vel commendam, ſeu aliàs obtentorum ſuſpẽſionem, eo ipſo incurrat, eiuſq; interdicti, aut ſuſpenſionis relaxationem; aut pœnarum remiſſionem ab alio, quàm a Rom. Pont. pro tempore

Digitized by Google

exiſtente, nequeat obtinere.

Et nihilominus fec. rec. Pij II. & aliorum Rom. Pont. noſtrorum prędeceſſorum, qui per ſuas conſtitutiones, aut in Cancellaria Apoſtolica publicatas regulas contra huiuſmodi Clericos malè pro motos, diuerſas pœnas inflixerunt, veſtigijs inhęrentes, eoſdem Clericos poſthac malè promotos ab executione, mini ſterio & exercitio ordinum ſuſceptorũ; & ab omni ſpe & facultate aſcẽdendi ad alios ſuperiores perpetuò ſuſpenſos declaramus; & ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, illos ſic irregulares effectos, omnibus, & quibuſcunq; per eos in titulum, commendam, aut aliàs obtentis dignitatibus, officijs, & beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura, quomodocunque qualificatis, ſęcularibus, vel cuiusuis ordinis, aut militiæ regularibus; ac etiam ſi ipſi Clerici regulares fuerint, actiua, & paſsiua voce, ipſo facto priuamus, & iis priuatos atque ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia in poſterum obtinenda, in per-

petuum

petuũ inhabiles, & incapaces eſſe decernimus, & declaramus; dignitatum, officiorum, & beneficiorum huiuſmodi, ſic pro tempore vacantium, diſpoſitionem nobis, & Apoſtolicæ Sedi perpetuò reſeruantes.

Vt autem homines, qui nimia indulgentia, & ſpe impunitatis, ac veniæ facilitate, hactenus fuerunt ad huiuſmodi facinora procliuiores; ea ſublata, & pręcluſa ab his abſtineant, & caueant in futurum tã abſoluendi, quàm diſpẽſandi facultatem in caſibus ſuperiùs expreſſis, etiam in foro conſcientiæ nobis, & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat, auctoritate, & tenore pręmiſſis, perpetuò reſeruamus; Inhibentes ne a quoquam ſęculari, vel cuiuſuis ordinis regulari Presbytero, vel Pręlato quauis auctoritate fungẽte, nec per quęcunq; Iubilea, & Indulgẽtias, etiam pleniſſimas & extraordinarias per noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos, vel ſucceſſores noſtros, anno Iubilei, aut alio quouis tẽpore, & Cruciatæ Sanctæ, vel quocunq; alio ti

tulo, modo, & forma, Motu proprio, & Conſiſtorialiter, ſeu ad quorũcunq; Principum, Regũ, aut Imperatoris inſtantiã, eorumq́;, contemplatione, & intuitu, cũ quibuſuis ampliſsimis in genere, vel in ſpecie derogatorijs clauſulis cõceſſa, vel in poſterum concedenda, nec vigore, aut prætextu facultatum, aut priuilegiorum Mare magnum, aut aliàs quomodolibet nuncupatorũ, quibuſuis ordinibus, Congregationibus, aut perſonis regularibus, aut Epiſcopis, per Decreta Conc. Tridentini, aut officio ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, vel minoribus, aut etiam Maiori; Pœnitentiarijs noſtris, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis, vel aliàs quomodolibet pro tempore conceſſorũ, Perſonæ, ſic vt præfertur, delinquentes: tã. ſ. Antiſtes, ſeu Abbates promouentes, quàm Clerici malè inſigniti, ſeu ordinati a reatibus, & exceſſibus præfatis abſolui, præterquàm in mortis articulo poſſint, aut debeãt, nec cum iis ſuper irregularitate propter præmiſſa contracta, etiam ſi crimen penitùs

oc-

Digitized by Google

occultum fuerit, quouis modo valeat diſpenſari.

Verũenimuerò, quia grauioribus morbis fortiora ſunt adhibẽda remedia: & iuxta perſonarum, locorũ, ac tẽporum qualitates leges ſunt immutandæ, pœnæq́; aggrauandæ & emolliendæ; cũ huiuſmodi peccatum ſatana ſuggerẽte, hoĩumq́; fragilitate aſſentiente, videatur iã ad culmẽ vitiorũ aſcẽdiſſe, & in præcipiti eſſe: Ideo vt hoĩes ſaltẽ pęnæ timore, & proprij honoris confuſione, a peccato deterreãtur, nouũ huic veneno antidotũ cogimur pręparare: Ac ꝓpterea volumus, vt, qui abſolutionẽ, & diſpẽſationem huiuſmodi petẽt, ſemper, ꝗuis delictum adhuc occultũ extiterit, non per officiũ Sacræ Pœnitentiariæ, ſed a nobis, & pro tẽpore exiſtente Rom. Pontifice, in vtroq; foro abſolutionẽ petere teneantur: alioquin ipſæ cõceſſiones, & abſolutiones, etiam cum clauſula, quòd præſentis Conſtitutionis tenor, & alia prædicta habeantur pro expreſſis, prorſus nullæ irritæ & inualidæ exiſtant,

ac nemini penitùs ſuffragentur.

Cęterũ ſi quis Antiſtes, vel Abbas, ſeruatis quidem cunctis pręmiſſis, & cęteris oĩbus, quæ in ipſius tonſurę, & ordinũ collatione obſeruari debent, perſonas habiles, & idoneas, ſed tñ recepta ab ijs, quib. tonſuram, aut ordines conferet pecunia, pretio, vel pręmio ſimoniacè in futurum inſigniuerit, vel promouerit: volumus, vt pręter alias cenſuras, & pœnas contra ſimoniacè ordinantes, & ordinatos a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis aliàs inflictas, & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiã omnia & ſingula ſupradicta in ſic promouentibus, & promotis locum habeãt: Decernentes præſentes literas ſub quibuſuis cõceſſionibus, facultatibus & gratijs, etiam in caſibus quibuſcunq; Sedi Apoſtolicæ quomolibet, etiam in Bulla Cœnę Domini reſeruatis, etiã ſub nomine Iubilei plenarij, vel Cruciatæ ſanctæ, abſoluendi facultatem quibuſuis perſonis generaliter, vel ſpecialiter tribuẽtibus, minimè compre-

prehendi: ſed ſemper ab illis exceptas eſ ſe & cenſeri: ſicq; in præmiſſis vniuerſis, & ſingulis per quoſcunq; Iudices, & Cõmiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicãdi, & interpretandi facultate in quauis cauſa, & inſtantia iudicári, & diffiniri debere, ac irritum, & inane qnicquid ſecus ſuper his a quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Concilijs etiam generalibus editis, cæterisq; contrarijs quibuſcunq;. Vt autem præſentes literę omnibus innoteſcant, mandamus illas ad Valuas S. Ioannis Lateranenſ. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ, affigi & publicari, & poſt quindecím dies, qui in Vrbe ſunt, qui verò extra eã & citra Montes intra quatuor menſes, qui demum vltrà Montes erunt, intra octo menſes a die publicationis huiuſmo-

di computan. perinde afficere, & arctare, ac ſi eorum cuique perſonaliter intimatæ fuiſſent, ac eorundem pręſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę obſignatis, eandem fidem in iudicio, & extra illud adhiberi, quę ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, declarationum, priuationis, reſeruationum, inhibitionis, voluntatum, decretorum, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo octuageſimo octauo, Nonis Ianuarij, Pontificatus Noſtri anno Quarto.

Nos

Digitized by Google

NOS animaduertentes in dictis literis ni hil ferè, quo ad ea, quæ in ordinum collatione ſeruanda ſunt, diſponi, vltra id, quod in ſacris Canonibus, & in Concilij Tridentini decretis, ac aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus diſpoſitum fuit, ſed diuerſas pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas contra Epiſcopos, & alios Prælatos in ordinum collatione peccantes, & ſimiliter cōtra Clericos tàm ſæculares, quàm cuiuſuis ordinis, inſtituti, & militiæ regulares malè promotos cōſtitui, abſolutionemq́;, & diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ reſeruari, & aliàs ſicut in præfatis literis continetur, Cōſiderantesq́; tàm promouentes, quàm eos, qui ad dictos ordines promouentur, ſæpè cenſuris, & pęnis huiuſmodi, ob illarum multiplicitatem in eorum perniciem animarum, varijs modis illaqueari, nōnullos ex Prælatis, & Epiſcopis in conferendis huiuſmodi ordinibus nimis ſcrupuloſè procedere; multosq́; metu pœnarum, & cenſurarum præfatarum ab ordinum collatione prorſus deterreri, adeò vt Clericorum, & Sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus ſit, omnium in præmiſsis ſecuritati, ac animarum ſaluti, paterna charitate proſpicere volentes: Motu proprio, & ex

certa

Digitized by Google

certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ po teſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, ſupradictas literas ad terminos ſacrorum canonum, ac conſti tutionis re. me. PII Papæ II. etiam Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Cum ex ſacrorum ordinum. Sub Dat. Romæ apud S. Petrum Quintodecimo Kalē. Decembris, Anno Incarnationis Dominicæ 1461. Pontificatus ſui Anno Quarto, Cuius tenorē præſentibus pro expreſſo haberi volumus, & ad diſpoſitionem decretorum ſacri Triden tini Cōcilij reſtringimus, & reducimus, nec non cenſuras, & pœnas in eiſdem Sixti literis contra quoſcunq;, præterquàm contra Simoniacè ordinantes, & ordinatos, inflictas, quas volumus in ſuo robore permane re (alijs etiam pœnis, & cēſuris per eoſdem Canones, ac Conſtitutionem PII II. Cōciliumq; Tridentinum iniunctis ſaluis, & firmis remanentibus) moderamur, & abole mus. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcunq; Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam eiuſdem Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbiq; iudicari, & diffiniri debere, Irritum

Digitized by Google

quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſsis, ac quibuſuis alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque, Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, uel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur ſi forent exhibitæ, uel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ reſtrictionis, reductionis, moderationis, reuocationis, abolitionis, decreti, & uoluntatis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo nonageſimo quinto, Pridie Kalen. Martij, Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Digitized by Google

Inſtitutionis huius his typis editæ æſtimatio præfinita eſt ſol. 12. ſine tamen opere conglutinationis.

Digitized by Google